Dissertatio

Inauguralis

G. BLOKHUIS B^{ZN}.

DE LATINITATE QUA USUS EST TERTULLIANUS IN APOLOGETICO.

DE LATINITATE QUA USUS EST TERTULLIANUS IN APOLOGETICO.

DISSERTATIO LITTERARIA

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI CRAMER

Theol. Doct. in Fac. Theol. Prof.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

summisque in Litterarum Classicarum disciplina honoribus et privilegiis in

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI PROPONET

GERRIT BLOKHUIS BZN.

Velpensis.

D.XXIV M. Septembris A. MDCCCXCII, Hora III.

VELP,
apud Y. YBES & Co.
MDCCCXCII.

19 Dec. 1893.
Lib. Univ. Utrecht.

Aan mijne Ouders.

PRAEFATIO.

Academiae Ultraiectinae valedicturus Vobis, viri clarissimi H. VAN HERWERDEN, C. M. FRANCKEN, J. A. WIJNNE, gratias iustas grato animo ago; quibus praeceptoribus uti, quod mihi per septem annos licuit, laetabor semper et gloriabor. Non solum egregiis Vestris lectionibus, praeceptis, monitis, sed etiam summa in me benevolentia arctius me Vobis devinxistis quam ut possim umquam dissolvere.

Eas quoque lectiones, quibus Tu, vir doctissime MORELL, archaiologiam nobis Graecam tradidisti, magna cum voluptate semper recordabor.

Gaudeo mihi datam esse occasionem, qua declarem animum meum in Te, aestimatissime promotor, clarissime vir VAN DER VLIET, cuius doctrinam, ingenium, ante omnia animum liberalem, tam brevi tempore cognoscere mihi contigit. Per totum hunc annum Tu mihi exstitisti et studiorum dux fidelissimus et fautor benevolentissimus; Te auctore studia mea ad Tertullianum contuli, Teque adiutore hoc opusculum confeci. Quorum omnium grata recordatio ex animo meo numquam evanescet.

Tandem Vos appello, coniunctissimi et amicissimi studiorum commilitones. Saepe grata memoria recolo illud tempus, quod vobiscum peragere mihi licuit. Pro amicitia nostra hoc vos rogo ut mei sitis memores. Semper vobis venti valde sint secundi!

„Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus eius et contra gentes libri cunctam saeculi obtinent disciplinam."
Hier. Ep. ad Magn. IV pg. 656.

Litterarum studium, quod certae viae ac rationi invidebat, qua tardis quidem sed certis passibus rerum naturae scientia ad magna progrederetur inventa, iam aliquamdiu coniecturarum ingeniosarum illecebris neglectis ad accuratam se vertit diligentiam in observandis et comparandis vocabulis, sententiis, libris librorumque aetatibus et temporibus, ut et ipsa observando, numerando, ponderando naturalium scientiarum diligentiam adaequaret. Quamquam vix cuiusvis linguae leges grammaticae aeque certa et ab omni dubitatione remota ratione et inveniri et verbis enuntiari poterunt, quam quae naturam rerum moderantur normae ac regulae, quippe in omnibus variis ac mutabilibus nihil mente humana magis varium, quae sermone suos et motus et cogitata effert, attamen, quod eius fieri poterit, contendendum, ut diligenter observemus pleneque colligamus, quaecumque ad linguam melius cognoscendam pertinent. Neque tamen erit obliviscendum, ut loquamur cum viro clarissimo Wölfflino (Archiv. VII, p. 127), qui in hac studiorum Latinorum parte felicissimo eventu plurimum est versatus, statisticam, quam hodie dicunt, instrumentum quidem esse oportere, quo ad res melius cognoscendas perveniamus, non tamen per se dignam esse, cui soli operam demus.

Inter linguae Latinae scriptorum genera scribendi mirum quantum discrepat, quamquam omnes hoc habent, ut simplicissima quaque spreta sententiarum forma affectent orationem ornatam et vulgari loquendi ratione alienam. Alii vero aliis magis sibi constant; certa quaedam vocabula, locutiones, con-

structiones, sententiarum ordinem et tenorem adamant, quo facilius eorum scripta intellegantur et si forte sunt corrupta emendentur. Alii contra nihil maiore cura evitant, nisi ne de iisdem rebus iisdem utantur verbis, nihilque sollicitius fugiunt, nisi Graecorum illud τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν.

Vix sermonis varietate magis conspicuus et qui tritam a doctis quidem et litterarum peritis scriptoribus viam longius reliquerit inter scriptores invenietur Latinos, quam Tertullianus. Est igitur operae pretium visum in eius imprimis sermonis leges inquirere, ut aliquando in tanta varietate deprehendamus unitatem, ut aliquando Proteum illum colligemus, verum huius chamaeleontis colorem dispiciamus.

Neque vero ignoramus non nos nunc primos in hoc studio versari, quippe qui mox simus enumeraturi, qui in hoc spatio nos praecesserint. Neque tironis esse potest inmensam operum Tertullianorum farraginem, cum sermonis insolentia tum abstrusioribus disputationibus intellectu difficillimam, universam perscrutari. Contenti fuimus opus Septimianum et nobilissimum, quodque in hominum manibus plurimum versatur, accurate legere et relegere, omniaque adnotare, quae a tritiore dicendi ratione plus minusve aliena viderentur, quamquam non nescimus, omnium fere, quae apud posterioris aevi et in provinciis natos scriptores leguntur propria et ab antiquorum usu declinantia, germina quidem et principia in antiquiore et magis polita linguae forma et aetate non plane desiderari.

Quaecumque collegimus eo praesertim consilio in unum contulimus opusculum, ut quicumque Tertulliani studiosus esset, facile quae in aliis eiusdem scriptoris operibus observatione et memoria digna reperisset collectaneis nostris inserendo addere posset.

Quibus praeter ipsum Tertullianum [1] fontibus in hoc commentario conscribendo usi simus, hic infra enumerabitur:

---

[1] Editio, qua semper usus sum, est *Oehleriana:* Q. Septimii Florentis Tertulliani Apologeticum et ad nationes libri duo. Halae Sax. 1849.

J. Schmidt: de latinitate Tertulliani. Erlangen, 1870. 72. II.

„ „ : de nominum verbal. in „tor" et „trix" ap. Tert. copia et vi. Erl. 1878.

G. R. Hauschild: die Wortbildung bei Tert. Leipz. 1876. 81. II.

Rönsch: Itala und Vulgata, das Sprachidiom der Urchristlichen Itala und der Katholischen Vulgata unter Berücksichtigung der Römischen Volkssprache. Marburg, Elwert. 1875.

Koffmane: Geschichte des Kirchenlateins, Breslau, 1881.

K. Sittl: die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikanischen Lateins. Erlangen, 1882.

Kellner: die sprachl. Eigentümlichkeiten Tertullian's. Tüb. theol. Quartalschr. 58.

P. Langen: de usu praepositionum Tertullianeo, Monasterii Guestphalorum, 1868. III.

H. Goelzer: étude lexicographique et grammaticale de la latinité de St. Jérome. Paris, 1884.

J. van der Vliet: „Studia Ecclesiastica" I, Leiden 1891.

H. Leipold: über die Sprache des Juristen Aemilius Papinianus. Passau 1891.

W. Kalb: Roms Juristen, nach ihrer Sprache dargestellt. Leipzig 1890.

Reliqui fontes infra suo quisque loco commemorabuntur.

DE CASIBUS. [1]

NOMINATIVUS *pro Accusativo in exclamatione* usurpatur [2] Ap. 50 (262) Mucius dexteram suam libens in ara reliquit: O *sublimitas* animi! Empedocles totum sese Catanensium Aet-

---

[1] Koffmane: Gesch. d. Kirchenl. II. pg. 116, sqq.

[2] Cf. Kühner: ausführl. Grammatik der lat. Sprache II. p. 203. 5.

naeis incendiis donavit: O *vigor* mentis! Contra mox: O philosophi *magnanimitatem.*

Accusativus, *qui dicitur Graecus:* [1] 35 (185) cuius non praecordia insculpta apparerent novi ac novi Caesaris scenam. (cf. Verg. Ecl. III. 106: flores inscripti nomina regum). —

Dativus *finalis.* In bona latinitate cum verbis: esse, dare, vertere, dativus finalis coniunctus invenitur, sed apud scriptores posterioris aetatis hic Dativus cum aliis quoque verbis coniunctus legitur: Ap. 16 (95) ii, qui diem Saturni *otio* et *victui* decernunt; 42 (221) operas nostras publicamus *usui vestro*; 48 (258) ita longe alius est, qui *usui humano*, alius qui *iudicio* dei apparet (Codex rescriptus Guelpherbytanus Isidori: *apparebit*, cf. Klussmann, Excerpta Tertullianea p. 32.); 49 (260) sed in eiusmodi enim, si utique, *inrisui* iudicandum est; (Perperam Oehl. ad hunc locum illustrandum (ad Scorp. c. 10) affert Liv. 6. 14, ubi *iudicatus* cum Genet. iungitur.); 9 (51) defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam *foederi* comparasse; 1 (6) dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi *detrimento* maerent.

Huc adiungi potest multis locis dativum finalem cum gerundivo pro structura cum praepositione „ad" inveniri: [2] 2 (13) *latronibus vestigandis* per universas provincias militaris statio sortitur; 5 (34) theatra *stuprandis moribus* orientia; 11 (64) quia nihil *continendo et sustinendo homini* prospectum post hominem potuit inferri; 11 (66) si enim vos *talibus puniendis* praesidetis; 14 (78) Hic Apollinem Admeto regi *pascendis pecoribus* addicit; 16 (88) cum Cn. Pompeius templum adisset *speculandis* Iudaicae religionis *arcanis*; 16 (95) ex quo quidem *frustrandis bestiis* mercennarius noxius picturam proposuit; 18 (101) quas *demerendo sibi* disciplinas determinaverit; 25 (163) nondum enim tunc ingenia Graecorum atque

[1] Rönsch I. u. V. pg. 437. 4; Kühner pg. 216. 5.

[2] *Kellner*; die sprachl. Eigentümlichkeiten Tertullian's (Tüb. theol. Quartalschr. 58. 229, sqq.)

Tuscorum *fingendis simulacris* urbem inundaverant; 28 (169) nam et alias *divinae rei faciundae* libens animus indicitur; 21 (125) qui *concludendo saeculo* imminet; 35 (186) unde qui *faucibus eius exprimendis* palaestricam exercent? 39 (201) nam inde non epulis nec potaculis nec ingratis voratrinis dispensatur, sed *egenis alendis humandisque*; 42 (223) Si Arabiae queruntur, sciant Sabaei pluris et carioris suas merces *Christianis sepeliendis* profligari quam *deis fumigandis;* 47 (248) et si paradisum nominemus, locum divinae amoenitatis *recipiendis* sanctorum *spiritibus* destinatum.

Naturam dativi finalis appropinquant: 35 (185) cuius non praecordia insculpta apparerent novi ac novi Caesaris scenam *congiario dividundo* praesidentis; 44 (227) vestros enim iam contestamur actus, qui cotidie *iudicandis custodiis* praesidetis.

Dativus cum verbo passivo coniunctus pro a cum ablativo: [1] 49 (260) sed et quidam vestrum, *quibus* favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur.

Attonitus cum Dat.: [2] 21 (132) non qua rupices et adhuc feros homines *multitudini* tot numinum demerendorum *attonitos* efficiendo; cf. de Spect. 25: *attonitus in mimos.*

Dativus pro abl. post comparativum gradum positus legitur 28 (170) quis enim ex viventibus non *cuilibet mortuo potior?* (Hanc lectionem praebent D. E. a. b. c. d. e. Erfurt. Oxon; „*quilibet non mortuo*" habent *Aβ*. (*Aφ*. m.sec.) BFGf. Vindob. Salmas. l.l.; „*cuilibet non mortuo*" *Aβ*. m.sec.; „*quilibet non omni mortuo*" edidit Haverc.; „*quolibet non mortuo*" *Aφ*. m. pr.; cf. de hoc loco van der Vliet: studia Ecclesiastica I. pg. 38 sq.); cf. adv. Herm. 11. *alii coaeterno* inferius; cf. Archiv. 7. 117; 6. 466.

Dativus Graeco more pro Ablativo positus: 46 (232) dum de bono sectae huius obducitur, quod *usui* iam et de commercio innotuit.

---

[1] Rönsch It. u. V. pg. 436. 3; Kellner Sprachl. Eig. Tert.

[2] Kühner pg. 320 b. exemplum affert (Sil. 6. 231), ubi attonitus cum *Gen. causaei* ungitur.

Dativus pro genetivo cum substantivo „potestas" coniunctus: 24 (154) et Aegyptiis permissa est tam vanae superstitionis potestas, *avibus et bestiis consecrandis et capite damnandis* qui aliquem huius modi deum occiderit.

Pro dativo cum gerundivo iuncto A praepositio reperitur: 9 (55) Imprimis filios exponitis *suscipiendos ab* aliqua praetereunte misericordia.

GENETIVUS *obiectivus* pronominis personalis, pro pronomine possessivo adhibitus, libenter a Tertulliano usurpatur: [1] 28 (169) si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos ultro *sui causa* placare deberet; 36 (190) officia, quibus et hostilitas magis ad *velamentum sui* potest fungi. 39 (207) coena nostra de nomine *rationem sui* ostendit; 41 (220) sin vero ab eis quos colitis omnia vobis mala eveniunt *nostri causa*, quid colere perseveratis tam ingratos.

Genetivus localis nominum terrarum et regionum pro *in* praepositione cum ablativo, [2] invenitur 21 (132) Orpheus *Pieriae*, Trophonius *Boeotiae* initiationibus homines obligaverunt. cf. Velleium 2. 51 (Hispaniae, Asiae), Florum 3. 22. 2 (Africae), 1. 18. 11 (Lucaniae), Val. Max. 4. 1. 15 (Aegypti); Cic. de Rep. III. 9 eodem modo scripsit: Graeciae.

GENETIVUS PRO DATIVO cum verbo „nomen dare" coniunctus [3] legitur 35 (187) omnes sacra faciebant pro salute imperatoris — et utique *publicorum hostium* nomen Christianis dabant (Archiv. VII. 117).

Adverbii LARGITER *substantivi vice cum genetivo structi* exemplum habes 37 (193) quando vel una nox pauculis faculis *largiter ultionis* posset operari. Vide de hac constructione Plaut. Rud. 4. 4. 144: inesse auri et argenti largiter, 5. 2. 28: largiter mercedis; Apul. de Mag. 28: largiter aquae; Intt. ad Verg. Aen. XI. 338.

---

[1] Rönsch It. u. V. pg. 418. — Kalb: Roms Juristen pg. 72; Wölfflin, Archiv. I. 172.

[2] Rönsch pg. 427. 2.

[3] Speyer lat. gramm. § 473 A. 2.

Genetivus pro ablativo positus, pendens a comparativo [1] 40 (211) Memorat et Plato *maiorem Asiae vel Africae* terram Atlantico mari ereptam. cf. de hoc Graecismo Vitruvium 5. 1: superiora inferiorum fieri contractiora; Tac. Ann. 4. 63.; Suet. Aug: 38: maiores annorum quinque et triginta. —

Adiectiva, quae contra vulgarem usum Genetivum casum habent, hic sequantur:

Caecus = ignarus 9 (56) ut ita sparsum genus per commercia humana concurrat in memorias suas, neque eas *caecus incesti sanguinis* agnoscat. (hanc lectionem praebent ABλ; *cetus* E. Erfurt.; *coetus* Dabcdef. (Oxon.); *coitus* Fulv. Ursinus; *cetum* G; *tecum* F. Vindob) cf. de Anima 10: aurium caeci, h. e. aures latentes, culices ne in tenebris quidem aures fallunt. Lucan. 2. 14: caecus fati futuri; Claudian. rapt. Pros. I. 138; Quinct. Instit. Orat. I. 10; Gell. N. A. XII, 13.

infamis cum Gen. struitur 39 (205) nam et coenulas nostras praeterquam *sceleris infames* (berucht om de misdaad. Gen. causae) ut prodigas quoque suggillatis.

religiosus c. gen. 16 (89) sed et qui *crucis* nos *religiosos* putat.

par c. gen: [2] 10 (62) etiam Iovem ostendemus tam hominem quam ex homine, et deinceps totum generis examen tam mortale quam *seminis sui par*. (*par est* DEab; *paret* E m. sec. et Vindob.; *pater* (aut: *pater est*) Meursius Crit. Arnob. p. 227. et Wopkens Misc. Observ. tom X. p. 38) cf. 11 (67) Si enim vos talibus puniendis praesidetis, si commercium, colloquium, convictum malorum et turpium probi quique respuitis, *horum* autem *pares* deus ille maiestatis suae consortio adscivit

---

[1] Rönsch It. u. V. pg. 435 III 1; Kellner: Sprachl. Eig. T.; Sittl. lok. Versch. pg. 114; Stallbaum ad Ruddim. II. pg. 77; Voss. ad Vellei. II. 31; Salmas. ad Spartian. Carac. 2. p. 708; Hildebr. et cett. Intt. ad Apul. Metam. III. 11. p. 170 (194). Kalb: Roms Juristen pg. 37. 62. 100. Wölfflin, Gen. comp., Archiv. VII 120.

[2] Kühner pg. 323 d. exemplum dat e Silio 4. 370: pares aetatis mentisque.

(pro: *pares* Agob. habet *partes*, Lugd. II. *paries*). Adiectivum *par* eadem lege qua adiectivum *similis* strui cum genitivo recte docet Ramshorn. Gr. Lat. § 108. p. 321; cf. Lucan. Phars. *X. 382;* Phaedr. IV. 15; Cic. Pis. 4; Tert. de Pat. 15; de Spect. 19.

praescius c. gen.[1] 11 (68) quanto dignius istos deos ille adsumendos exspectasset, *praescius* utique potiorum? (legendum propono: praescius utique *posteriorum*).

ingratus c. gen.[2] 40 (215) Illius rea est, cuius et *ingrata* (Fuld. habet: illlus rea est cuius bonis ingrata est. In cett. omnibus: Illius rea est cuius et ingrata h.e. illius irae rea est cuius beneficiis est ingrata). Structura Graeca. cf. Verg. Aen. X. 666: respicit ignarus rerum ingratusque salutis.

insignis c. gen.[3] 19 (107) urbes *insignes historiarum.*

canus c. gen. 19 (107) urbes *canas memoriarum*, quam lectionem praebent A.B.E.F,G. Bongars. Erfurt. Vindob.; *historiarum causas et memoriarum*, acde; *historiarum et caussas memoriarum* D; *historias et causas memoriarum* b.; *historiarum canas et memoriarum* Haverc.; *canas memoriarum* f.; *historiarum arcana et memoriarum* λ.

inofficiosus c. gen.[4] pro: in aliquem (Cic. Att. 13. 27. 1) 40 (214) Semper humana gens male de deo meruit: primo quidem ut *inofficiosa* eius, quem cum intellegeret ex parte, non requisivit (pro „inofficiosa eius, quem cum", quod reliqui libri tenent omnes, Gelen. praebet: in officia eius quemcumque; Lugd. II. delet voc. *eius.*)

libidinosus c. gen. 47 (243) dum ad nostra conamur, et homines *gloriae*, ut diximus, et *eloquentiae solius libidinosi*, si quid in sanctis scripturis offenderunt digestis.

loquax c. gen. 16 (88) At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille *mendaciorum loquacissimus.*

---

[1] Kühner pg. 323 e.
[2] Kühner pg. 320.
[3] Kühner pg. 292. 15.
[4] Kellner: Sprachl. Eig. Tert.

sagax c. gen. 18 (102) Ptolemaeorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant, et *omnis litteraturae sagacissimus*. (Erl. habet: sapientissimus).

curans rerum 47 (245) et Platonici quidem *curantem rerum* cf. ad Nat. II. 2. pg. 336.

inconstans c. gen. at Nat. II. 2. (337) Et ideo cum tam incerta et *inconstans definiendi* de deo philosophia deprehenditur.

Ablativus *substantivi pro adverbio*, qui usus per linguam Hebraicam, quae adverbia non habet, explicari potest, [1] reperitur 2 (13) O sententiam *necessitate* confusam. (Oehlerus in priore editione interpretatus „necessario", altera in editione sententiam retrahit dicitque voc. „necessitas" hic esse pro angustiis.) cf ad Nat. 1. 4: atquin *temeritate* (= temerario modo) praesumeretur; ad Nat. 1. 8: Psammetichus quidem putavit tibi se (A) *ingenio* (= ingeniose) exploratus sic de primogenitis. (Psammetichus quidem putavit sibi *de ingenio* sqq. Gothofredus; *ibi se de* Rf.); ad Nat. 1. 18: non ignem, non tormenta ob duritatem ac contemptum mortis *animo* recusemus (= animose).

Ablativus pro Accusativo, qui respondet ad interrogationem: per quam longum tempus? 14 (78) Martem tredecim *mensibus* in vinculis paene consumptum.

Ablativus omissa „a" praepositione cum verbo passivo ad actorem indicandum: 23 (143) edatur hic aliqui ibidem sub tribunalibus vestris, quem *daemone agi* constet. (pro „daemone agi" in edd. Rhen. Gangn. Barr. est „daemone angi")

Contra bonum usum pro: *tantum abest ut* legimus 34 (180) *Tanto abest* ut imperator deus debeat dici, quod non potest credi, non modo turpissima sed et perniciosa adulatione: (van der Vliet, Stud. Eccl. I. pg. 39. coniecit: credi < *nisi* > non modo turpissima sqq. suspicatus sigla vocabulorum *nisi* ($\overset{i}{n}$) et *non* (ñ) in singularem negationem coaluisse.) —

A bona latinitate alienus usus est *Ablativi pronominis „idem"*: *eâdem* = simul, una 19 (107) *eâdem* voces praedi-

---

[1] Sittl. die lok. Versch. pg. 170.

caverunt utramque partem, *eâdem* litterae notaverunt; *eâdem* = pari modo: [1] 21 (119) cum haec illis sanctae voces praeminarentur, *eâdem* semper omnes ingerebant fore uti sqq. (*eaedem semper omnes* F.f. Haverc.; *eaedem fere semper omnes* d., ex Vaticanis.)

Quâ = *in quantum* scriptum invenitur 5 (31) Temptaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed *qua* et homo, facile coeptum repressit; (sed quia et homo: DEabc. Oxon. Erfurt.; quia et λ; sed quid? Fulv. Ursinus); 30 (173) sciunt quis illis dederit imperium, sciunt *qua* homines quis et animam sqq. (*qua* dederunt: ABDFλdef. Pamelii libri, Vindob.; *quia* E; *que* Erfurt; *quis* Gc; *qui* ab.)

Verba significatione minus solita adhibita vel, cum iis casibus coniuncta, quibuscum apud melioris aetatis scriptores raro vel numquam inveniantur:

adiurare (ἐξορκίζειν) legitur cum Accusativo structum 32 (178) ceterum *daemonas*, id est genios, *adiurare* consuevimus (cf. Vopisc. Florian. 1.; Lactant. 2. 15. 3.)

promerere cum Acc. [2] non invenitur nisi post aetatem Augusteam: 21 (117) ut de dei vocibus, quibus edocebantur, de *promerendo deo* et non offendendo praemonerentur; 24 (152) et tamen quod facinus admittit qui magis ad *Caesarem promerendum* et opera et spem suam transfert.

Verbi *flagrare* cum accusativo structi habes exemplum 46 (234) in quantum *odium flagrat* veritas, in tantum qui eam ex fide praestat offendit. (*In quantum odium flagrat* (*fraglat* F; *fragrat* Vindob.) ABDEFGλaf. Erfurt. Oxon. Vindob. Gandav. Elnon. Bongars.; *In quantum odio flagrat* bcde; cf. Statium Silv. V. 2. 119; „novercales ibat venator in agros

---

[1] cf. Burm. ad Quinctil. Declam. XVII; Lindem. ad Plaut. Mil. Glor. II. 3. 32.

[2] cf. Rönsch It. u. V. pg. 377.

Ascanius miseramque patri flagrabat (Ca *flagrabat.* Baehrens: post Heinsium *flammabat*) Elisam." —

suspirare aliquem = ardere 15 (83) et Cybele *pastorem* (DE abcdef Oxon. Erfurt. praebent: *pastorem suspirat; pastorum suspirat* ABG; *suspirat pastorum* Vindob.; *suspirat pastorem* F.) *suspirat* fastidiosum non erubescentibus vobis. —

abuti c. Acc. struitur 23 (147) vererentur enim *abuti* maiestatem ABd. sine dubio et timendorum. Contra c. 26. quo *vobis abutamur.* Archiv. 7. 432. —

fungor c. Acc. coniunctum etiam a Plaut., Ter., Tac., Suet. et posterioribus scriptoribus usurpatur, sed numquam in bona litterarum latinarum aetate reperitur 9 (47) militia, quae *id ipsum munus* illi proconsuli *functa est* (quae ad ipsum munus λ.) Contra c. 7. *officio* nuntiandi *functa.* —

erubescere alicui 9 (53) *Erubescat* error vester *Christianis* (*Christianos.* ab.); 11 (68) Properavit, opinor, et caelum semel clusit, et nunc utique *melioribus* apud inferos *mussitantibus erubescit;* Apud Hieronymum quoque cum Dativo structum hoc verbum invenitur. —

Mentiri alci non reperitur nisi apud comicos, Augustinum, Hier. Ep. 121. 9. fin.: mentientes spiritui sancto; Apol. 23 (146) nisi si daemones confessi fuerint *Christiano mentiri* non audentes. Act. Apost. V. 3 et 4.

curare alicui pro: aliquem 46 (235) ut qui *saluti suae curant.*

communicare alicui: 39 (204) ex illa, credo, maiorum et sapientissimorum disciplina, Graeci Socratis et Romani Catonis, qui uxores suas *amicis communicaverunt.*

mancipari alicui ad posteriorem latinitatem pertinet 21 (116) neque de consortio nominis cum Iudaeis agimus, quod utique oporteret si *eidem deo manciparemur*; 24 (151) praeter unum, *cui* nos *mancipamur.*

obstruere alicui rei 1 (3) si denique, quod proxime accidit, domesticis iudiciis nimis operata infestatio sectae huius *obstruit defensioni* (*obstruit viam* E abcd; *viam obstruit* D; *obstruit os* λ; *obstat* F).

operari cum dativo iunctum, idem significans quod: incumbere, operam dare: 1 (3) *domesticis iudiciis nimis operata* infestatio (*animis operata* λ; *nimis onerata ac*). Absolute usurpatum hoc verbum est: 40 (216) balneis et cauponiis et lupanaribus *operantibus*. —

praeteresse c. Dat. 38 (197) Cum et ipsis rebus de quibus transiguntur *praetersumus* (i. e. praetermittimus eas res, a quibus alieni sumus) *exiguntur praeterimus* Dabc. —

delinquere alicui 26 (166) si *deo* non *deliquisset* ultimo in Christum. (*si non ultimo deliquisset in Christum* λf. Haverc.)

renuntiare contra bonum usum Dativum rei secum coniunctum habens, non legitur ante Quinctil. idemque est atque: rem aliquam repudiare, abdicare; 38 (197) aeque *spectaculis vestris* in tantum *renuntiamus* in quantum originibus eorum.

canere c. dat. = cantu laudare 2 (11) coetus antelucanos ad *canendum deo et Christo*; 39 (208) post aquam manualem et lumina provocatur in medium *deo canere.*

deputare c. dat. 25 (163) Sed quam vanum est fastigium Romani nominis religiositatis *meritis deputare*: 41 (219) dehinc quia si quid adversi infligitur, *vestris meritis deputatur*. cf. Vopisc. Flor. 4; Klussmann. Curae Tertullian. p. 64. 65.

Dominari cum Gen. structum reperitur, qui usus imitatione Graecorum explicari potest; 26 (166) cuius et deum victimis et templum donis et gentem foederibus aliquamdiu Romani honorastis, numquam *dominaturi eius*, si deo non deliquisset ultimo in Christum. cf. Hor. carm. 3. 30. 12: regnavit populorum (ἄρχειν τινος); V. Archiv. 7. 120. —

coenare cum abl. 9 (52) item illi qui de arena *ferinis obsoniis* coenant (nisi forte legendum est: de arenae ferinis obsoniis.)

eliminare aliquo loco 6 (36) Liberum Patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo *urbe*, sed *universa Italia eliminaverunt.*

olere c. abl. [1] pro acc. structum 40 (212) *Olet* adhuc *incendio*

---

[1] Kühner pg. 211. 3.

terra, et si qua illic arborum poma, coenantur(?) oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt (Variae lectiones: *conantur* ABEGλdef. Gandav. Elnon. Erfurt. Vaticanus unus; *cernantur* F. Vindob.; *oriantur* Dabc. Ambros. Latinius; *cooriantur* Meursius Crit. Arnob. p. 229.) Infra, ubi de praepositionibus agemus, ea tractabuntur verba, quae, a vulgari usu discrepantia, pro casibus praepositiones secum coniunctas habent.

DE NUMERO.

Pluralis numerus nominum abstractorum. [1] Cicero praesertim in scriptis philosophicis et rhetoricis multa abstracta in plur. numero usurpavit novaque finxit; quam consuetudinem Caesar et Sallustius multo rarius, poetae tamen et argenteae aetatis scriptores saepenumero secuti sunt. Scriptores Afros, imprimis Apuleium, patresque ecclesiae multo etiam frequentius ea pluralia usurpavisse novaque finxisse, extra omnem controversiam est positum. Summa Tert. audacia exstat in pluralis numeri usu a ceterorum loquendi ratione saepe alieno, quem invenimus in his locutionibus: 7 (37) Serapidem et Isidem et Arpocratem cum suo cynocephalo Capitolio prohibitos inferri, id est curia deorum pulsos Piso et Gabinius consules non utique Christiani eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium *superstitionum* vitia cohibentes (Cic. n. d. 2. 28. 70: superstitiones aniles; Tac. a. 12, 59: superstitiones magicas obiectare alicui; Iust. 41. 3: in superstitionibus praecipua veneratio est.); 7 (40) Et unde extraneis notitia, cum semper etiam piae *initiationes* arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt? 21 (132) ut Graecis occurram, Orpheus Pieriae, Musaeus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Boeotiae *initi-*

---

[1] Holtze Synt. prisc. scr. L. Vol. I. p. 17 sqq; Draeger: Hist. Synt. I. pg. 9 sqq; Kühner pg. 55 § 22 et 23; Kühnast: Livian. Synt. p. 64 sqq; C. G. Jacob: comment. de usu numeri pluralis apud poetas Latinos. 1841.

ationibus homines obligaverunt; 15 (82) Dispicite Lentulorum et Hostiliorum *venustates*, utrum mimos an deos vestros in iocis et strophis rideatis („vetustates" tuentur DEᴬa. Erfurt. Oxon.); 19 (107) cum *casus* urbium, cum *exitus* gentium, cum *status* temporum ita omnibus respondent, quemadmodum ante milia annorum praenuntiabantur; 9 (50) ex ipsis etiam vobis iustissimis et severissimis in nos praesidibus apud *conscientias* pulsem; 15 (85) Ceterum, si adiiciam, quae non minus *conscientiae* omnium recognoscent. (Cic. hoc vocabulum paucis tantum locis ita usurpavit; cf. parad. 2. 2. § 18 maleficiorum conscientiae stimulant.) 26 (166) Postremo si Romanae religiones regna praestant, numquam retro Iudaea regnasset despectrix communium istarum *divinitatum* (cf. Vitr. 9, 1: divinitates astrorum); 20 (113) quod fames et lues et locales quaeque clades et *frequentiae* plerumque mortium vastant; (variae huius loci sunt lectiones: *frequentium plerumque montium* (*motium* D.) Da; *frequentiae plerumque montium* Vindob.; *efferventium plerumque montium* b; *frequentiae plerumque mortuae* c.; *frequentiae plerumque montide* G.; *frequentiae pleraque montium* f. Haverc., ex coniectura Fulvii Ursini.); 39 (200) certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus *inculcationibus* densamus (*in compulsationibus densamus* λ. Haverc.) 17 (99) quae licet libidinibus et *concupiscentiis* evigorata. (non nisi apud eccl. scriptores hoc vocabulum invenitur); 19 (112) Graecorum etiam censuales conferendi, ut quae quando sint gesta, ut *concatenationes* temporum aperiantur, per quae luceant annalium numeri (*concenationes* G; *contentationes* Vindob.; *cum catenationes* Ambros.; *contenationes* liber Contii; *contimationes* Contius.) cf. de hoc vocabulo Aug. c. d. 3. 30; Cael. Aur. tard. 3. 2.; — 21 (116) vel quia praeter aetatem neque de victus *exceptionibus* neque de *solemnitatibus* dierum cum Iudaeis agimus; (cf. Tac. Germ. 44: nullis exceptionibus; Gell. 2. 24: per dierum varias sollemnitates.); 22 (136) animae vero repentinos et extraordinarios per vim *excessus*. (cf. Plin. pr. 12; Val. Max.

8. 2: minuti a pudore excessus puniebantur; Prud. adv. Symm. 2. 990.); 22 (137) furoribus et *amentiis* foedis aut saevis libidinibus; 35 (182) catervatim cursitare ad *impudentias* (*ad impudicitias* λ.); 39 (208) inde disceditur non in catervas *caesionum* nec in classes *discursationum* nec in *eruptiones* lasciviarum. (*censionum* a.; *nec in inceptiones lasciviarum* λ.). cf. ad Nat. 1. 1. (272) multi bona fide, immo iam plures pro *extremitatibus* temporum. —

Satis insolita ratione *collectivum singulare cum verbo in plurali numero coniunctum* invenitur 2 (13) tunc Traianus rescripsit *hoc genus inquirendos* quidem non esse, *oblatos* vero puniri oportere; 27 (168) vel *hoc genus* poenalis servitutis *erumpunt* adversus nos.

DE VERBO.

Verba deponentia nonnumquam passive ponuntur: [1] 2 (13) latronibus investigandis per universas provincias militaris statio *sortitur*.

Verbum „odire" haud raro a vett. Ecclesiae scriptoribus pass: usurpatur [2] (cf. Hieron. Ep. 43. 2: odiremur a mundo) 3 (21) *oditur* itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. At enim secta *oditur* in nomine utique sui auctoris (cf. 37 (191) Si inimicos, ut supra diximus, iubemur diligere, quem habemus *odisse*?)

Decere insolenter usurpatum legimus [3] 35 (182) haecine sollemnes dies principum *decent*, quae alios dies non decent (In Fuld. (λ) hic locus ita habetur: „Haec in solemnes dixi principum decernuntque alios dies non decet." In Erl. abest voc. „*dies*" ante „*non decent*")

---

[1] cf. Kellner: Spr. Eig. Tert. 58. 229; Kühner I. § 208; II. § 28. 7.

[2] Kellner Spr. Eig. T.

[3] Kühner II. pg. 194.

remunerare forma activa pro depon: 46 (233) statuis et salariis *remunerantur* (*honorantur* F. m. pr.) cf. Exod. 21, 8: quodsi non placuerit domino suo ...... remunerabit eam; Quinct. decl. 2. 6: necesse est sic remuneret; Petron. 140: ille puellae artificium pari motu remunerabat; cl. App. Met. 7. p. 194. 13; Dig. 17, 1, 7; Fronto ep. ad M. Caes. 2. 1: remuneratus est a me mutuo; Min. Fel. Oct. 7. 2: ut remuneraretur divina indulgentia. —

abrumpere ≐ *secedere, se avellere* 37 (194) si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum *abrupissemus* a vobis; cf. adv. Valent. 4: de ecclesia authenticae regulae *abrupit.* de Pud. c. 7 ob tale quid extra gregem datus est, vel et ipse forte — *abrupit.*

inolescere trans. 40 (241) dehinc quod non inquirendo innocentiae magistrum et nocentiae iudicem et exactorem omnibus vitiis *inolevit* (legendum innocentiae magistrum et exactorem et nocentiae iudicem. cf. Spect. 2 *exactor innocentiae;* Apol. 36. *exactor benignitatis*; Cult. fem. II. 4. *exactor castitatis.* c. 45. deus vocatur: perfectus magister et incontemptibilis dispector; ibidem legitur: tanta est prudentia hominis ad demonstrandum *bonum* quanta auctoritas ad exigendum. *Exactor* igitur ad solas *virtutes* refertur.) —

regnare trans. 26 (165) videte igitur, ne ille regna dispenset cuius est et orbis qui *regnatur* et homo ipse qui regnat.

movet = movetur 40 (210) si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra *movit.* cf. ad Nat. 1. 9 (295) si terra movit.

DE TEMPORIBUS.

Mutatio temporum satis a bona latinitate aliena: [1] 25 (161) Sed non statim et Juppiter Cretam suam Romanis fascibus concuti *sineret* (pro: Plqpf. coni.); ibidem: *Vellet* Iuno Punicam urbem posthabita Samo dilectam ab Aeneadarum utique gente

deleri (pro: voluisset); 39 (206) Herculanarum decimarum et polluctorum sumptus tabularii *supputabunt*, Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis cocorum delectus *indicitur* (inducitur b.; delectus indicentur cde), ad fumum coenae Sarapiacae sparteoli *excitabuntur*: de solo triclinio Christianorum *retractatur*; 41 (220) qui magis vos in dolore Christianorum iuvare et adserere *debuerant*, quos separare *deberent* a meritis Christianorum? (Verba „quos — Christianorum," quae reperiuntur in omnibus Codd. Mss. et Edd. Vett., delerunt in suis edd. Rigalt. et Haverc. auctoritate unius Fuld., qui illa non agnoscit. Etiam Oehlero perquam suspecta est illa repetitio (cf. pg. 218), nec tamen sibi id iuris sumere voluit, ut illa expungeret.)

Tunc *cum praesenti tempore coniunctum* habemus 22 (139) Dispositiones etiam dei et tunc prophetis concionantibus *excerpunt* (exceperunt λf. Haverc.) et nunc lectionibus resonantibus carpunt.

Tempus futurum a Tertull. nonnumquam adhibetur *idem significans quod apud Graecos Optativus cum ἄν.* [2] 23 (142) non ergo dignius *praesumetur* ipsos esse qui se deos faciant; 24 (153) Nemo se ab invito coli *volet* („volet" praebent: ABDEFGλf. Vindob. Erfurt. Oxon.: vellet adcde; coli velit Lugd. I., sed superscr. „volet.") 33 (179) non enim deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se deum *volet* dici. 34 (181) tamquam si habens imperatorem alterum appelles, nonne maximam et inexorabilem offensam *contrahes* eius quem habuisti? 46 (240) sed *dicet* aliquis etiam de nostris excedere quosdam

[1] Sittl. Lok. V. pg. 132; Koffmane Gesch. des Kirchenlat. II. pg. 121; Rönsch It. u. V. pg. 431, 543; K. Foth: die Verschiebung lateinischer Tempora in Böhmer's romanischen Studien H. 8. pg. 3 sqq.; Fr. Hugo Brehme: linguarum noviciarum laxam temporum significationem iam priscis linguae Latinae temporibus in vulgari elocutione perspici posse, Göttingen 1880. — (Deze noot behoort bij pag. 16.)

Haase bei Reisig, Vorl. über lat. Sprachw. pg. 456 sq.

[2] Kellner Sprl. Eig. T. 58. 229 sqq.

a regula disciplinae; 48 (249) age iam, si qui philosophus adfirmet hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere, et in eam opinionem omnia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne consensum *movebit* et fidem *infiget* etiam ab animalibus abstinendi? (Vide quae van der Vliet: Stud. Eccl. I. pg. 40 sq. de hoc loco scripsit.) 48 (250) At enim Christianus si de homine hominem ipsumque de Gaio Gaium reducem repromittat, lapidibus magis, nec saltim coetibus a populo *exigetur* (cf. v/d. Vliet. St. Eccl. I. pg. 40 sq.).

Infinitivus, pendens a praeterito tempore, hic illic in praeterito quoque tempore a Tert. ponitur, qui usus attractione quadam explicari potest. [1] 25 (164) et ab hostibus ergo suis sustinent adorari et illis imperium sine fine decernunt quorum magis iniurias quam adolationes *remunerasse debuerant*; 37 (194) *Potuimus* et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes solius divortii invidia adversus vos *dimicasse.*

DE INDICATIVO ET SUBIUNCTIVO.

Indicativus pro subiunctivo in altero enuntiato, praegressa „si" particula in priore cum coniunctivo [2] 1 (7) quod *si sciant,* odisse non *poterant;* 11 (63) ceterum *si* nemo *esset* qui deos faceret; frustra *praesumitis* deos factos auferendo factorem (si nemo *est* qui Fuld.) 13 (73). Deus non *erat quem (= si eum)* homo consultus *noluisset* et nolendo *damnasset.* 33 (180) minor *erat* si tunc deus *diceretur.* 40 (215) ceterum *si requisisset, sequebatur* ut cognosceret requisitum. Exemplum particulae „cum" praegressae invenimus 7 (39) quis talia facinora *cum invenisset, celavit* aut *vendidit* ipsos trahens homines. Insolita quoque ratione scriptum legimus 16 (88) et utique *si* id *colebatur,* quod aliqua effigie repraesentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo *exhiberetur.* —

---

[1] Rönsch It. u. V. pg. 431. 3b.
[2] Kellner Sprl. Eig. T.

Subiunctivus pro Indicativo post relativum indefinitum „quantuscumque" [1] 7 (41) omnium est aestimare, quantacumque illa ambitione diffusa *sit.* 39 (207) quantiscumque sumptibus *constet*, lucrum est pietatis nomine facere sumptum.—

Indicativus pro subi. post „ut" consecutivum 7 (41) quod ea illi condicio est, *ut* non nisi mentitur perseveret et tamdiu *vivit* quamdiu non probat. (vivat F.)

„Cum," vim habens concessivam, c. Ind. struitur 46 (234) idem et *cum* aliquid de veritate *sapiebat* deos negans, Aesculapio tamen gallinaceum prosecari iam in fine iubebat. (Pro „cum aliquid" Fuld. praebet „qui aliquid," et pro „sapiebat" edd. Rhen. et Gelen. habent „sapiat.")

„Cum" temporale cum Indicativo Imperfecti et Plusquamperfecti structum: 5 (35) *cum* aurum nulla *norat* praeter unico digito (nulla membra norant praeter unicum digitum. c.; nulla norat praeter unicum digitum FG. Leidens. Vindob.) 40 (213) omnes dei vestri ab omnibus colebantur, *cum* ipsum Capitolium Senones *occupaverant* (hanc lectionem tuentur ABDEFG. Vindob. Erfurt. Oxon. Bongars.; occupaverunt abcdef. Haverc.); 40 (213) nemo adhuc Romae deum verum adorabat *cum* Hannibal apud Cannas per Romanos anulos caedes suas modio *metiebatur.*

„Cum" causale cum Indicativo; cuius Afri potissimum stili usus multa exempla ex Tert. Apologetico [2] suppeditari possunt: 1 (5) *cum* ergo propterea *oderunt* homines, quia ignorant quale sit quod oderunt, cur non liceat eiusmodi illud esse, quod non debeant odisse? 2 (15) si non ita agitis circa vos (?) nocentes (circa *vos* nocentes Agob. Lugd. II.; „circa *nos* nocentes" in cett. Codd. Mss. et Edd. omnibus extat, quam lectionem Oehlerus in altera editione reposuit; egit de hoc loco van der Vliet St. Eccl. pg. 33, qui legendum proponit: si non ita agitis circa nos < ut circa > nocentes sqq.) ergo nos innocen-

---

[1] Kühner II. pg. 787. 2. A. 1; Holtze I. pg. 405; Draeger I. pg. 84.

[2] cf. quae praebent Intt. ad. Arnob. VII. 23 et quae Hildebr. ad Apul. tom. I. pg. 531 sq. congessit ex scriptis Frontonis.—

tissimos iudicatis, *cum* quasi innocentissimos non *vultis* in ea confessione perseverare, quam necessitate, non iustitia damnandam a vobis sciatis; 4 (23) sed quoniam, *cum* ad omnia *occurrit* veritas nostra, postremo legum obstruitur auctoritas adversus eam, de legibus prius concurram vobiscum ut cum tutoribus legum. (occurrerit Gc.) 4 (27) et ideo *cum* iniquae (sc. leges) *recognoscuntur*, merito damnantur, licet damnent. Quomodo iniquas dicimus? immo si nomen puniunt, etiam stultas. (van der Vliet: St. Eccl. pg. 34 legendum esse existimat: quid modo iniquas dicimus?). 9 (48) *cum* propriis filiis Saturnus non *pepercit*, extraneis utique non parcendo perseverabat; 21 (116) Verum neque de Christo erubescimus, *cum* sub nomine eius deputari et damnari *iuvat*, neque de deo aliter praesumimus. 23 (147) *Cum* ergo utraque pars *concurrit* in confessionem deos esse negans, agnoscite unum genus esse, id est daemonas, verum utrobique. 29 (172) Facit ad causam, si et propitium, *cum* illis aliquid liberalitatis aut privilegii *confert*. (pro: „confert" praebet Oxon. „praestat"). 38 (197) Aeque spectaculis vestris in tantum renuntiamus in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, *cum* et ipsis rebus de quibus transiguntur *praetersumus* (cf. de varia huius loci lectione ea quae supra dicta sunt.) —

Indicativo in interrogatione indirecta saepissime pro subiunctivo usi sunt Afri; [1] cuius generis scribendi haec ex Apologetico exempla collegimus: 9 (57) Sed caecitatis duae species facile concurrunt, ut qui non vident *quae sunt* videre videantur quae non sunt. (pro: quae sunt videre Rhen. ed. quaerant et videre). 6 (33) Nunc religiosissimi legum et paternorum insti-

---

[1] *Sittl.* lok. Versch. pg. 134; *Rönsch.* I. u. V. pg. 428 sq.; *Hagen.* sprachliche Bemerkungen p. 55; *Kaulen.* Handbuch zur Vulgata p. 248; *Thielman:* über Sprache und Kritik des lat. Apollonius romans p. 40; *Koffmane.* Gesch. des Kirchenlat. p. 130; *Hildebr.* ad Arnob. 3. 6; 2. 28; 5. 33. et Hildebr. ad Apul. Metam I. 25. pg. 70; *Cort.* ad Lucan. I. 26; *Mommsen.* Jordanes p. 190; *Bährens:* unedierte lateinische Gedichte p. 130.

tutorum protectores et cultores respondeant velim de sua fide et honore et obsequio erga maiorum consulta, *si* a nullo *desciverunt*, *si* in nullo *exorbitaverunt*, *si* non necessaria et aptissima quaeque disciplinae *oblitteraverunt*. 13 (72) Recognoscite *si mentior* (hanc lectionem tuentur ABFGλdf. Vindob.; „si mentiar" praebent DEabce. Haverc. Erfurt. Oxon.). 25 (159) Viderit Cybele, *si* urbem Romanam ut memoriam Troiani generis *adamavit*, vernaculi sui scilicet adversus Achivorum arma protecti, *si* ad ultores transire *prospexit*, quos sciebat Graeciam Phrygiae debellatricem subacturos. 29 (171) Constet igitur prius, *si* isti quibus sacrificatur salutem imperatori vel cuilibet homini inpertire *possunt*, et ita nos crimini maiestatis addicite („impertiri possint" dat Erl.); 42 (221) *Quomodo* infructuosi *videmur* negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio. (videmur: ABDEFG. Erfurt.; videamur: abcdef. Haverc.) Cf. porro de hoc indicativo in interrogatione indirecta: ad Nat. 1. 1. (272) scio plane qua responsione *soletis* redundantiae nostrae testimonium convenire; 1. 7. (285) videte, qualem prodigiam adversus nos *subornastis*; 2. 17 (405) Quaerite quis temporum vices *ordinavit*. —

Indicativus pro subiunctivo in oratione obliqua invenitur: 15 (86) iam quidem intellegi subiacet veritatis esse cultores qui mendacii non sint, nec errare amplius in eo in quo errasse se recognoscendo *cessaverunt*. (hanc lectionem dant: ABEFGcd. Erfurt. Vindob.; cessaverint Dabef.). 18 (101) viros in saeculum emisit spiritu divino inundatos, quo praedicarent deum unicum esse, qui universa condiderit, qui saeculum *ordinavit* (ordinavit ABDEFGλabcde. Vindob. Oxon. Erfurt. Ambros.; ordinaverit f. Haverc. In Pamel. verba „hic enim est verus Prometheus — ordinavit" uncinis inclusa sunt, quod idem fecit Oehlerus in editione maiore atque posteriore. Nobis id perperam factum esse videtur. Verba enim „hic enim est verus Prometheus" non nisi ad praecedentia spectant.) 24 (151) Omnis ista confessio illorum qua se deos negant esse quaque non alium deum respondent praeter unum, cui nos *mancipamur*, satis idonea

est ad depellendum crimen laesae maxime Romanae religionis. 30 (173) sentiunt eum esse deum solum in cuius solius potestate *sunt*, a quo *sunt* secundi sqq. („a quo *sint* secundi" Put. Lugd. I. In reliquis libris tam scriptis quam editis extat „a quo *sunt* secundi.) 30 (173) Recogitant quousque vires imperii sui valeant, et ita deum intellegunt; adversus quem valere non *possunt*, per eum valere se cognoscunt. —

Indicativus pro subiunctivo in propositione relativa quae vim habet consecutivam. 21 (133) Si ea est qua cognita ad bonum quis *reformatur*, sequitur ut falsae renuntietur. (ad bonum quis reformatur ABFGdef. Vindob.; ad bonum quis reformetur Ec. Erfurt. Oxon. Ambros.; quis reformetur ad bonum Dab.): 33 (179) quem necesse est suspiciamus ut eum quem dominus noster *elegit* (elegit ABEFGde. Oxon. Erfurt. Pamelii libri; elegerit Dabc.) 25 (161) Nonne omni Capitolio tumulum illum suum praeposuisset, ut ea potius orbi terra praecelleret, quae cineres Iovis *texit?* 36 (190) Adeo pietas et religio et fides imperatoribus debita non in huiusmodi officiis consistit, quibus et hostilitas magis ad velamentum sui *potest* fungi, sed in his moribus quibus divinitas († locus corruptus) *imperat* tam vere quam circa omnes necesse habent exhiberi. 41 (218) Etenim credibilius haberi debet eum irasci qui neglegatur quam qui *coluntur.*

Indicativus pro subiunctivo in propositione relativa, quae vim habet causalem: 24 (157) Laedimus Romanos nec Romani habemur qui non Romanorum deum *colimus*; 25 (159) si ad ultores transire prospexit, quos *sciebat* Graeciam Phrygiae debellatricem subacturos. 25 (162) etiam si qui non regnaverunt, tamen regnabatur ab aliis nondum cultoribus suis, *ut qui* nondum dei *habebantur.* [1] 29 (172) quia non ludimus de officio salutis eorum, *qui* eam non *putamus* in manibus esse plumbatis. (Pro „qui eam" Erl. habet „quodque eam", Lugd. II. „quia eam"). 32 (177) Est et alia maior necessitas nobis orandi pro imperato-

[1] Kühner II. pg. 852. A. 2.

ribus, etiam pro omni statu imperii rebusque Romanis, *qui* vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausulam saeculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu *scimus* retardari („qui vim" ABDEFGλf. Bongars. Vindob. Erfurt.; „quod vim" abcde) 38 (196) Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones sectam istam deputari oportebat, a *qua* nihil tale *committitur*, quale de inlicitis factionibus timeri *solet*? 45 (231) enimvero nos *qui* sub deo omnium speculatore *dispungimur*, *qui*que aeternam ab eo poenam *providemus* merito, soli (l. , merito soli; comma post „providemus" collocandum est) innocentiae occurrimus; 46 (235) Quam inlusores et corruptores mimice philosophi adfectant veritatem et adfectando corrumpunt, *ut qui* gloriam *captant*, Christiani et necessario appetunt et integre praestant, *ut qui* saluti suae *curant*. Contra 39 (208) Ita saturantur, *ut qui meminerint* etiam per noctem adorandum deum sibi esse; ita fabulantur, *ut qui sciant* dominum audire. —

DE INFINITIVO.

Infinitivi consilii vel finalis, [1] qui a bonae aetatis scriptoribus non usurpatur, pauca tantum exempla afferri possunt. 22 (136) Angelos quoque etiam Plato non negavit; utriusque nominis testes *esse* vel magi adsunt (i. e. adsunt qui testimonium dicant nempe esse et daemonas et angelos); „testes vel magi adsunt" ed. Haverk. deleto voc. esse. 39 (208) Post aquam manualem et lumina, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium deo *canere*. —

Habere cum Infinitivo. [2] Habere c. Inf. coniunctum, idem

---

[1] *Rönsch* I. u. V. p. 447; *Koffmane*: Gesch. des Kirchenlat. II. p. 124.

[2] cf. *Kühner* II. pg. 496 A 3 (Perperam *Kühnerus* pro exemplo huius generis scribendi affert Cic. Or. 42. 144: „dignitatem docere non habet", quae verba nihil aliud significant nisi (Belg.) „'t les geven staat niet in

fere significat quod verba „posse et debere." Ex eo autem, quod in verbis „posse" et „debere" notio temporis futuri inest, circumscriptio temporis futuri per „habere cum Inf." explicanda est. (Archiv. II. p. 51. 60): 22 (139) *Habent* de incolatu aëris et de vicinia siderum et de commercio nubium caelestes *sapere* paraturas, ut et pluvias, quas iam sentiunt, repromittant. 37 (191) Si inimicos, ut supra diximus, iubemur diligere, quem *habemus odisse*? Cf. porro ad Nat. 2. 4. (344): cum ergo non *habes coniungere* sensu neque ratione. Sic de Anima 55 „habes credere." de Resurr. Carnis 26 „habemus allegorizare." de Ieiun. 8 „habens efficere." Eadem fere ratione usurpatur „*tenere c. Inf.*" ad Nat. II. 2 quem non liquido tenebat determinare."

subiacet cum Infinitivo idem significat quod „in promptu est", „ὑπόκειται" [1] 15 (86) iam quidem *intellegi subiacet* veritatis esse cultores qui mendacii non sint. Cf. ad Nat. I. 10. (298): de reliqua vero conversationis humanae dispositione *palam subiacet* (h. e. φανερῶς ὑπόκειται) quanta a maioribus mutaveritis. —

capit = ἐνδέχεται *impers. c. Inf.* [2] 17 (99) Hoc quod est deum aestimari facit, dum *aestimari* non *capit*; cf. ad Nat. 2. 3: „non *capit* utique *videri* deus." adv. Marc. III. 6 „Id enim intellegi vel non intellegi *capit* quod habendo substantiam praedicationis habebit et materiam vel agnitionis vel erroris," de Pudic. I „*capit* et indulgeri quasi modica." de Baptismo I. „nec *capit* numerari quod non habetur." —

sufficere cum Inf. structum, idem valens quod „posse", in posteriore latinitate et apud poetas reperitur (cf. Verg. A. 5.

---

aanzien.") *Rönsch* I. u. V. p. 447; *Kellner* Spr. Eig. T.; *Koffmane* Gesch. des Kirchenlat. II. pg. 122. sq.; *Hagen* Sprachliche Erörterungen zur Vulgata pg. 42; *Diez*, Gramm. der röm. Sprache II. p. 110. sqq.; vid: Intt. Cic. Tuscul. I. 8 et IV. 9, tom. II. p. 305 ed. Moser.

[1] *Sittl.* lok. Versch. p. 120.

[2] *Sittl.* p. 119; Rönsch It. u. V. p. 351.

21; Lucan. 5. 153.) 42 (224) Non enim *sufficimus* et hominibus et deis vestris mendicantibus *opem ferre*, nec putamus aliis quam petentibus inpertiendum. Denique porrigat manum Juppiter et accipiat sqq. (van der Vliet St. Eccl. pg. 40 legit pro „accipiat", quod editur: accipiet.)

est cum Infinitivo = ἔστι, ἔξεστι Graecissantis est [1] 7 (41) Omnium est aestimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit (Variae lectiones: Omnium est e scientia. res quantacumque illa F; Omnium est existimare, quantacumque c. Omnium est existimare, quantacumque illa Da.) 41 (218) Hoc, inquitis, et in deum vestrum *repercutere est*, si quod (l. cum abcde: si quidem) et ipse patiatur propter profanos etiam suos cultores laedi. Cf. ad Nat. II. 3 (339) „aeque demonstrando elementa deos non esse ad illam agnatorum speciem praestruemus recte deos non *esse defendi* quorum parentes id est elementa dei non sunt." Non necessarium mihi videtur cum Wölfflino (Archiv. für lexicogr. II. pg. 136) cumque Oehlero accipere illud secundum „esse" h. l. Graeco more usurpari pro: *licere*; Tertullianum h. l. nihil a bona latinitate discrepare puto. Dicit enim: „qui ostenderit elementa deos non esse, simul probaverit, eos, qui elementorum esse prolem dicantur, perperam divinitati adseri: recte dei non esse defenduntur i. e. perhibentur, quorum ne parentes quidem dei sunt. De locutione: *est scire* v. *Klussmann*. Cur. Tert. p. 69. —

Compellere cum Inf. [2] 46 (233) Quis enim philosophum sacrificare aut deierare aut lucernas meridie vanas *proferre compellit*? (Var. lectt. Vanas prostituere compellit λf. Haverc. vanas ferre compellitur G) cf. ad Natt. 1, 3: negare compellimur.

Elaborare = *laborare, gestire, cum Infinitivo:* 2 (15) Veritatis extorquendae praesides de nobis solis mendacium *elaboratis audire*.

---

[1] Kellner Sprl. Eig. Tert. Cf. de hoc usu: Verg. Ecl. X. 46; Verg. Georg. IV. 447; Arnob. adv. Natt. V. 11. —

[2] cf. *Goelzer:* latinité de St. Jérome pg. 365.

Dignus cum Inf. [1] apud scriptores sequioris tantum aetatis legitur 10 (58) Summa haec causa, immo tota est, et utique *digna cognosci* 18 (100) viros enim iustitiae innocentia *dignos* deum *nosse* et *ostendere* a primordio in saeculum emisit spiritu divino inundatos, sqq. 48 (251) sed de nostra magis defensione, qui proponimus multo utique *dignius credi* hominem ex homine rediturum.

Facilis cum Infinitivo [2]: 45 (229) Tanta est prudentia hominis ad demonstrandum bonum quanta auctoritas ad exigendum: tam illa *falli facilis* quam ista *contemni*. („tam illa facilis", omisso voc. „falli" ed. Rhen.) 46 (236) Deum quilibet opifex Christianus et invenit et ostendit et exinde totum quod in deum quaeritur re quoque adsignat; licet Plato adfirmet factitatorem universitatis neque *inveniri facilem* et inventum enarrari in omnes difficilem. (Var. lectt: invenire facile F. Vindob.; invenire facilem G; inveniri facile λ.)

DE PARTICIPIO.

Participium temporis praesentis invenitur pro attributo, quod dicitur, verbi „esse" quocum verbo coniunctum quasi coniugationem periphrasticam efficit [3] 30 (174) Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus *precantes sumus* semper pro omnibus imperatoribus.

---

[1] *Kellner* Sprl. Eig. Tert.: *Draeger* Hist. Synt. § 421; *Goelzer* lat. de St. Jér. p. 366.

[2] cf. Sil. Ital. 12. 163: „Planities facilis adiri." Vide quos excitat Hildebr. ad Apul. Flor. 1. 3. p. 11; cf. Diederich, Glossar. ad Dict. Cret. II. 21. p. 286. —

[3] cf. de hoc usu Plaut. Poen. V. 2, 78: ut sis sciens; Truc. 1, 2, 29: solens sum; Ter. Andr. 508, 775; Cato r. r. praef.; Vitruvius multa huius generis scribendi exempla offert, quae omnia collegit: Albr. Koehler: Act. Semin. Philog. Erlang, p. 449; Goelzer Lat: de St. Jérome, p. 389, 2.

Participium praesens pro sententia conditionali: 50 (261) tamen et proeliatur omnibus viribus et *vincens* in proelio gaudet qui de proelio querebatur; (vincens = si vincit vel vicit.).

Participium praesens pro sententia finali: 9 (52) sanguinem exceptum avida siti comitiali morbo *medentes* hauserunt (= ut comitiali morbo mederentur.)

Participium futurum pro sententia relativa; [1] qui usus per T. Livium et praecipue per Tacitum magis magisque in latinitatem irrepsit. 1º. *Participium in — urus velut partic. Fut. secundi:* '21 (125) Ne enim intellegerent pristinum, *credituri*, si intellexissent, et *consecuturi* salutem, si credidissent, meritum fuit delictum eorum (h. e. qui credidissent, si intellexissent et consecuti essent salutem, si credidissent.) 26 (166) Postremo si Romanae religiones regna praestant, numquam retro Judaea regnasset, cuius et deum victimis et templum donis et gentem foederibus aliquamdiu Romani honorastis, numquam *dominaturi* eius, si deo non deliquisset ultimo in Christum (= qui numquam dominati essetis).

2º. *Participium Fut. primi* 45 (231) recogitate etiam pro brevitate supplicii cuiuslibet, non tamen ultra mortem remansuri? (h. e. quod non ultra mortem remanebit.) [2]

DE GERUNDIVO.

Gerundivum sensim paulatimque a fine saeculi tertii significationem participii futuri passivi accepisse satis notum est.

---

[1] cf. de hoc usu apud T. Livium: *Kühnast.* Livian-Synt. p. 267; *Riemann* Etude sur la langue et la gr: de T. Live App. § 50 pg. 226; ap. Tacitum: *Gantrelle*: Gramm. et style de Tacite § 56; cf. porro: *Kühner* II p. 569; *Draeger.* pg. 725; *Neue.* Lat. Formenlehre II. p. 379; *Goelzer* p. 389. 3 A.B.C.

[2] De Participiis praes. fut. perf. pro substantivis usurpatis videbimus infra.

Cominianus distinguit duo participia passiva 1°. part. perf. pass. (scriptus e. g.), 2°. part. fut. pass. (scribendus e. g.). Gerundiva posse fieri nomina, amissa temporis significatione, contendit Priscianus; ita *amandus* significare potest: ὁ φιληθησόμενος [1] Satis multa huius usus exempla collegit *Paucker*: Spicileg. p. 187 n. 43; qui idem de tota re maxima cura egit in duobus libris: 1°. de Latinitate scriptt. hist. Aug. meletemata. Dorpat 1870 pg. 85; 2°. de Latinitate beati Hieronymi, Berlin, 1880 pg. 149 sqq. Ex Apologetico haec affero: 11 (68) quanto dignius istos deos ille *adsumendos* exspectasset, praescius utique potiorum? 9 (55) Imprimis filios exponitis *suscipiendos* ab aliqua praetereunte misericordia extranea, vel *adoptandos* melioribus parentibus emancipatis. 21 (125) secundo (sc. adventu), qui *concludendo* saeculo imminet in sublimitate divinitatis exertae. —

DE GERUNDIO.

Ablativus Gerundii pro Infinitivo [2] videtur imprimis pertinere ad verba *desinendi* et *perseverandi* (cf. ap. Graecos: καρτερεῖν, ἀνέχεσθαι, κάμνειν, ἀπαγορεύειν, ἐλλείπειν, παύεσθαι, λήγειν c. Partt.) In Apol. huius generis scribendi unum tantum exemplum inveni: 9 (48) Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non *parcendo perseverabat*. Hoc cum genere scribendi maxime cohaeret usus *Ablativi Gerundii pro Participio Praesentis:* [3] 9 (52). aper ille quem cruentavit, *conluctando*

[1] *Kellner* Sprl. Eig. Tert.; *Koffmane* Gesch. des K. L. p. 127. 128; *Rönsch* It. u. V. p. 433; *Kühner* II. p. 546 sq; *Neue*. Lat. Formenlehre II p. 385 sq.

[2] *Rönsch* It. u V. pg. 433 b.

[3] *Rönsch* pg. 432. 6a; *Kellner* Sprl. Eig. Tert.; *Koffmane* Gesch. des Kirch. Lat. p. 126.

detersit. 10 (58) sequitur ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobis ipsis, semel deos non *colendo* (pro „quia" l. qua cf. van der Vliet: St. Eccl. pg. 35). 11 (63) Ceterum si nemo esset qui deos faceret, frustra praesumitis deos factos *auferendo* factorem. 13 (73) Deus non erat quem homo consultus noluisset et *nolendo* damnasset. Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis *pignerando, venditando, demutando*, aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitur, ut quisque dominus sanctiorem expertus est domesticam necessitatem. („demutando" abest Oxon.; coniecit van der Vliet (stud. Eccl. pg. 36) „ut quisque dominus *angustiorem* expertus est domesticam necessitatem.). 15 (86) Iam quidem intellegi subiacet veritatis esse cultores qui mendaciis non sint, nec errare amplius in eo in quo errasse se *recognoscendo* cessaverunt. 19 (113) Verum differre praestat, vel ne minus persequamur *festinando* vel diutius evagemur *persequendo*. 21 (125) primum non *intellegendo* (Lugd. II habet, intellegendum) secundum, quem manifestius praedicatum sperant, unum existimaverunt. 21 (132) Ex eo enim quod aliud a se coli dicit quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem in alterum transfert et *transferendo* iam non colit quod negavit. 21 (133) Licuerit et Christo commentari divinitatem, rem propriam, non qua rupices et adhuc feros homines multitudini tot numinum demerendorum attonitos *efficiendo* ad humanitatem temperaret; 23 (144) Aeque producatur aliquis ex his qui de deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui *ructando* (ructuando. Fuld.; ruptando. Lugd. I) curantur, qui *anhelando* praefantur. 23 (150) quam plurimum illis *credendo* in Christo domino credimus. 24 (152) At e contrario in vos exprobratio resultabit, qui mendacium colentes veram religionem veri dei non modo *neglegendo* quin insuper *expugnando* in verum committitis crimen verae inreligiositatis. 25 (160) die nono kalendarum earundem, quo sanguinem inpurum lacertos quoque *castrando* libabat. 25 (164. 165)

Certe non potest fidei convenire, ut religionis meritis excrevisse videantur qui, ut suggessimus, religionem aut *laedendo* creverunt aut *crescendo* laeserunt. 35 (183) Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, de qua in secundum sacrilegium convenimur Christiani non *celebrando* vobiscum sollemnia Caesarum sqq. 37 (195) Nunc enim pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum, paene omnium civitatum paene omnes cives Christianos *habendo*. Sed hostes maluistis vocare generis humani potius quam erroris humani. („habendo" DE abde. Erfurt. Oxon. Pamelii libri. „hostes habendo" λ. „habendos" ABG, Vindob. „habentes" F. In c. verba „paene omnes cives Christianos habendo" absunt. 40 (214) sed et alios insuper sibi commentata quos coleret (commentata < est > v. d. Vliet. St. Eccl. pg. 40); dehinc quod non *inquirendo* innocentiae magistrum et exactorem et nocentiae iudicem omnibus vitiis et criminibus inolevit. (cf ea, quae supra de hoc loco dicta sunt) 45 (231) Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat, modicum quidem contemptibilem *pronuntiando*, magnum vero non diuturnum. 46 (235) Quam inlusores et corruptores mimice philosophi adfectant veritatem et *adfectando* corrumpunt, sqq. 46 (237) Democritus *excaecando* semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset et doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. 48 (254) Lux cotidie interfecta resplendet et tenebrae pari vice *decedendo* succedunt. sq.

DE ACCUSATIVO CUM INFINITIVO.

Apud sequioris aetatis scriptores *propositio, a coniunctionibus quod, quia, quoniam incipiens, pro Acc. c. Inf.* hic illic ponitur. [1] In Apologetico duo tantum huius usus exempla

[1] *Kellner* Sprachl. Eig. T. 236; *Rönsch* It. u V. pg. 402; *Sittl.* lok. Versch. pg. 110; *Hagen* Spr. Erört. pg. 58—61.—

invenire potuimus: 7 (41) Omnium est aestimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit, quantacumque asseveratione constructa, *quod* ab uno aliquando principe exorta sit necesse est. 23 (147) Eadem vero opera nostra ab eisdem deis vestris non tantum hoc detegentibus *quod* neque ipsi dei sint, neque ulli alii, etiam illud in continenti cognoscitis, qui sit vero deus.

Contra vulgarem usum construuntur porro cum Acc. c. Inf.:

Leges erant 4 (26) Sed et *iudicatos* in partes *secari* a creditoribus *leges erant* (cf Kühner III. pg. 817).

Permittere 11 (66) Atquin ut illos homines fuisse non possitis negare, etiam istae notae accedunt quae nec deos postea factos *credi permittunt.* (cf. Kühner p. 809. 3).

exspectare c. Acc. c. Inf. 11 (68) Quanto dignius istos *deos* ille *adsumendos* expectasset, pro: dum isti dei assumerentur. (cf. Kühner p. 515 A. 4 cet. 806 i.; Liv. 43. 22. 2).

reprehendere c. Acc. c. Inf. pro „quod" numquam apud bonos scriptores reperitur (Kühner p. 840 b.) 12 (68) nihil aliud reprehendo quam *materias sorores esse* vasculorum instrumentorumque communium (variae lectt. aliud reprehendo ABDEG abe, Vindob. Erfurt. Oxon. Bongars. Ambros.; aliud deprehendo (deprendo F.) Fedf.; amplius deprehendo λ Haverc.)

facere c. Acc. c. Inf. 17 (98) Hoc quod est *deum aestimari* facit, dum aestimari non capit; 23 (142) non ergo dignius praesumetur ipsos esse qui se deos faciant, cum eadem edant quae faciant *deos credi*, quam pares angelis et daemonibus deos esse?

Admonetur, personaliter usurpatum, cum Acc. c. Inf. 33 (179) *Hominem se esse* etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur.

Permittere c. Acc. c. Inf. 35 (183) non celebrando vobiscum sollemnia Caesarum quo more celebrari nec modestia nec verecundia nec pudicitia permittunt.

Contra pro Acc. c. Inf. sequitur propositio a coniunctione

„ut" incipiens post: *iniquum est* 1 (5) quid enim iniquius, quam *ut oderint* homines quod ignorant.

Insolita ratione post verbum „cupere" coniunctivus scribitur 8 (44) *Cupio respondeas*, si tanti aeternitas, aut si non, ideo nec credenda.

Saepius subiectum Acc. c. Inf. per ellipsin omittitur, de quo Tertulliani genere scribendi infra in capite de stilo Tertulliano videbimus.

DE CONIUNCTIONIBUS.

De „cum," coniunctione causali et concessiva cum Indicativo structa et al. supra iam diximus. Transeamus nunc ad coniunctionem *ne*, ubi inchoat interrogationem indirectam: [1] 2 (15) suspecta sit vobis ista perversitas, *ne* qua vis lateat in occulto, quae vos adversus formam, adversus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges ministret. 2 (17) Unde ista perversitas, ut etiam illud non recogitetis, *ne* compulsus negare non ex fide negarit et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat aemulatione iterum Christianus? 3 (19) Nemo retractat, *ne* ideo bonus Gaius et prudens Lucius, quia Christianus, aut ideo Christianus, quia prudens et bonus. (pro „ne ideo" praebent „ab" non ideo). 7 (42) Exinde in traduces linguarum et aurium serpit, et ita modici seminis vitium cetera rumoris

---

[1] *Rönsch* It u. V. pg. 401; *Kellner* Sprl. Eig. T.; Intt. ad Ovid. Met. X. 681. ad Cic. Tusc. II. 26; V. 12. 21 et Hildebr. 1. 20. cf. porro: ad Nat. 1. 4: nemini subvenit, *ne* ideo bonus quis, quia Christianus; 1. 7: ut nemo recogitet, *ne* primum illud os mendacia seminaverit; 1. 8: verum recogitate, *ne* quos tertium genus dicitis principem locum obtineant; 1. 10: considerate etiam atque etiam, *ne* vobiscum communicemus crimen illud; 1. 10: quare nescio, *ne* plus de vobis dei vestri quam de nobis querantur.

obscurat, ut nemo recogitet, *ne* primum illud os mendacium seminaverit sqq.; 15 (86) nescio, *ne* plus de vobis dei vestri quam de Christianis querantur. („nescio plusne" cd.) 24 (153) Videte enim *ne* et hoc ad inreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis et interdicere optionem divinitatis, sqq.; 26 (165) Videte igitur, *ne* ille regna dispenset cuius est et orbis qui regnatur et homo ipse qui regnat, *ne* ille vices dominationum ipsis temporibus in saeculo ordinarit qui ante omne tempus fuit et saeculum corpus temporum fecit, *ne* ille civitates extollat ant deprimat sub quo fuit sine civitatibus aliquando genus hominum. (*nec* ille civitates extollat aut deprimat E. Erfurt.) 35 (184) Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, — fidem et veritatem vestram demonstrare, *ne* forte et isthic deteriores Christianis deprehendantur qui nos nolunt Romanos haberi sed ut hostes principum Romanorum. 48 (250) propterea persuasum quis habeat, *ne* forte bubulam de aliquo proavo suo obsonet?

Si pro *ne*, ubi inchoat *interrogationem indirectam* [1], reperitur: 6 (33) Nunc religiosissimi legum et paternorum institutorum protectores et cultores respondeant velim de sua fide et honore et obsequio erga maiorum consulta, *si* a nullo desciverunt, *si* in nullo exorbitaverunt, *si* non necessaria et aptissima quaeque disciplinae oblitteraverunt. 8 (44) Cupio respondeas, *si* tanti aeternitas, aut si non, ideo nec credenda. 13 (72) Recognoscite *si* mentior. 25 (159) Viderit Cybele, *si* urbem Romanam ut memoriam Troiani generis adamavit, vernaculi sui scilicet adversus Achivorum arma protecti, *si* ad ultores transire prospexit, quos sciebat Graeciam Phrygiae debellatricem subacturos. 29 (171) Constet igitur prius, *si* isti quibus sacrificatur salutem imperatori vel cuilibet homini impertire possunt; 21 (133) Quaerite ergo *si* vera sit ista divinitas Christi. —

Si pro *ne cum inchoat interrogationem directam* [2]: 23 (148) Dicent ibidem: Et quis ille Christus cum sua fabula? *si* homo

[1] *Rönsch* It. u. V. p. 403. 404; *Kellner* Sprl. Eig. T.
[2] *Rönsch* It. u. V. 404. 405.

communis conditionis? *si* magus? *si* post mortem de sepulchro a discipulis subreptus? *si* nunc denique penes inferos? *si* non in caelis potius, et inde venturus cum totius mundi motu, cum orbis horrore, cum planctu omnium, sed non Christianorum, ut dei virtus et dei spiritus et sermo et sapientia et ratio et dei filius? (si lectionem sequimur, quam praebent Put. Goth. Ampl. Oxon. Erl. Lugdd. cd. Haverk.: „dicent ibidem et quis ille cet." oratio est indirecta; itaque hoc exemplum cum iis, quae supra allata sunt, coniungendum erit.) [1]

simul = *simulatque* 1 (6) Testimonium ignorantiae est, quae iniquitatem dum excusat, condemnat, cum omnes qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, *simul* desinunt ignorare, cessant et odisse (cf. ad Nat. 1. simul eis contigit scire).

quando = *quoniam*, *quum* [2] 1 (7) Malunt nescire, quia iam oderunt; adeo quod nesciant praeiudicant id esse quod, si sciant, odisse non poterant, *quando* si nullum odii debitum deprehendatur, optimum utique sit desinere iniuste odisse sqq. — 2 (10) Respondendi, altercandi facultas patet, *quando* nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari. 37 (192) Quid tamen de tam conspiratis umquam denostastis, de tam animatis ad mortem usque pro iniuria repensatum, *quando* (= quum advers.) vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret? [3] —

De *quod* coniunctione pro Acc. c. Inf. supra iam vidimus. —

---

[1] Cf. ad Nat. c. 7. 291: volo enim scire, si per talia scelera adire parati estis. ib. cupio respondeas, si tanti facis aeternitatem.

[2] *Koffmane* Gesch. des Kirchenlat. II. pg. 132 V; *Rönsch* I. u. V. p. 405.

[3] Cf. ad Nat. I. 16. 320: plane ex aliqua disciplina severiores aut certo respectu eiusmodi eventum a libidine temperatis quocumque loco domi aut peregre, ut non dispersio seminum et saltus ubique luxuriae nescientibus filios edat, quos aut ipsi postmodum parentes aut alii etiam filii incursent, *quando* etiam aetatum moderatio libidine exclusa sit. ad Nat. II. 5. 347: *quando* ne ipsa quidem corpora aut animas sufficere licuisset sine elementorum temperamento.

Quamquam inusitate positum censeo pro: *quantumvis.* 16 (88) Et utique si id colebatur quod aliqua effigie repraesentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros *quamquam* vana cultura; (Erl. pro „quamquam" praebet „tamquam). —

miror cum pro *miror quod:* 30 (175) ut mirer, *cum* hostiae probantur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, *cum* cuivis praecordia potius victimarum quam ipsorum sacrificantium examinantur. (Variae huius loci lectiones: cum hostiae probantur ABEG def. Vindob. Erfurt. Oxon.; cum hostiae probentur Dabc; quomodo hostiae probantur F.; cum cuivis praecordia Oehl.; cum quibus praecordia ACDEFG. Bongars. Oxon. Vindob. Ambros. Erfurt.; cur praecordia (λ) abcdef. Haverc.) *Et* = *etiam* ap. Tert. saepissime legitur; qui usus ne a bona quidem latinitate alienus est. Apud optimae aetatis scriptores *et* = *etiam* usurpatur in: *nam et, at et, sed et, verum et, ergo et, igitur et, itaque et, an et, age et, quum* (*quando*) *et, simul et, sic et, sicuti et, ubi et.* Ante pronomina demonstrativa „*et*" pro „*etiam*" saepe scriptum invenitur; *non modo ... sed et*; *et nunc*; pro *ne ... quidem* habet Sen. ep. 54. 2. *et* (= etiam) ... *non.* Huius coniunctionis copulativae usum Tertullianum exemplis illustrare non operae pretium mihi visum est, quoniam omnibus fere paginis exempla possunt inveniri. — *Non modo ... quin insuper* = *non modo ... sed etiam* 24 (152) qui mendacium colentes veram religionem veri dei *non modo* neglegendo *quin insuper* expugnando in verum committitis crimen verae inreligiositatis.

Nam, coniunctio causalis, postposita est: 19 (108) Si quem audistis interim Moysen, Argivo Inacho pariter aetate est; quadringentis paene annis *nam* et septem minus Danaum sqq. (nisi forte legendum est cum Fuld.: „Si quem audistis interim Moysen, Argivo Inacho pariter aetate est. Quadringentis paene annis (nam et septem minus) Danaum sqq. cf. Oehleri editionem maiorem I. pg. 190).

Pro *sed* saepenumero in Apologetico *ceterum* usurpatum

invenimus, [1] quod vocabulum non nisi a Plauto, Terentio et posterioris aetatis scriptoribus adhibetur: Cf. 1 (4) Scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire, *ceterum* genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in caelis habere. 1 (5) *Ceterum* inauditam si damnent, praeter invidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiae. 4 (28) *Ceterum* suspecta lex est quae probari se non vult, inproba autem, si non probata dominetur; 11 (65) *Ceterum* si propterea Liber deus quod vitem demonstravit sqq. 15 (85) *Ceterum* si adiiciam, quae non minus conscientiae omnium recognoscent, in templis adulteria componi sqq. 17 (98) *Ceterum* quod videri communiter, quod comprehendi, quod aestimari potest, minus est et oculis quibus occupatur sqq.; 21 (120) *Ceterum* dei filius nullam de impudicitia habet matrem; 32 (178) *Ceterum* daemonas, id est genios, adiurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus. 40 (213) Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma, coenantur (? v. quae supra diximus) oculis tenus, *ceterum* contacta cinerescunt. 40 (214) *Ceterum* si requisisset, sequebatur, ut cognosceret requisitum sqq. 46 (236) *Ceterum* si de pudicitia provocemus, lego partem sententiae Atticae in Socratem. —

DE PRAEPOSITIONIBUS. [2]

Initium faciamus a praepositione: *ad*. Movendi significatio, quae huic praepositioni subest, saepius ea sola exprimitur,

[1] cf. *Kühner* II. 685 A; *Draeger* II. 128 f.; *Koffmane* Gesch. des Kirchenl. p. 135. cf. ad Nat. I. 5. 283: *Ceterum* sine causa vocatis Christianos quos ipsi negant Christiani, qui se negare non norunt. I. 7. 290: *Ceterum* quam vanum est profanos scire quod nesciat sacerdos? I. 16. 318: *Ceterum* incesta vestra pro sua libertate et luce omni et nocte omni et tota caeli conscientia fruuntur; II. 1. 355: *Ceterum* quem deum credam? II. 13. 386: Ceterum si potuerunt deos sese facere post mortem, at quorsum deterioris condicionis ab initio esse voluerunt?—

[2] Scripsit commentationem philologicam de usu praepositionum Tertulliano *Petrus Langenus*, cuius opus diligenter inspexi. Etiam si ea dissertatio

omisso verbo movendi ita ut concisa quaedam brevitas sententiae oriatur. Porro haec praepositionis notio movendi ita transfertur, ut quo quid spectet vel quid agendo efficiatur vel ad quem exitum perveniatur, sola hac praepositione saepius breviter indicetur; Tertulliani verba tum in nostram linguam nisi aliquo verborum circuitu verti non possunt. Conferamus exempla: 8 (45) alii ordines dentium, alii *ad incestam libidinem* nervi. Qui ista credis de homine potes et facere. Homo es et ipse, quod et Christianus. Qui non potes facere non debes credere. Homo est enim et Christianus et quod et tu. (van der Vliet St. Eccl. pg. 34, praefert complurium librorum lectionem: homo est et Christianus, quod et tu.) 9 (53) Minus humano sanguine *ad spurcitiam* consecrantur, quia futurum sanguinem lambunt? (i. e. ut ad spurcitiam perveniant); 14 (77) Sed conversus ad litteras vestras, quibus informamini *ad prudentiam et ad liberalia officia*, quanta invenio ludibria! (i. e. quibus informamini ut ad prudentiam et ad liberalia officia perveniatis); 16 (94) Denique inde suspicio quod innotuerit nos *ad orientis regionem* (sc. conversos) precari. Sed et plerique vestrum adfectatione aliquando et caelestia adorandi *ad solis ortum* (sc. conversi) labia vibratis, 18 (102) suscitatis omnibus ab initio defunctis et reformatis et recensitis *ad utriusque meriti dispunctionem.* 18 (103) inter cetera memoriarum quibus aut vetustas aut curiositas aliqua *ad famam* patrocinabatur, sqq. 19 (107) si non maior *auctoritas* illis *ad fidem* de veritatis suae viribus quam de aetatis annalibus suppetisset. 21 (133) non qua rupices et adhuc feros homines multitudini tot numinum demerendorum attonitos efficiendo *ad humanitatem* temperaret, (i. e. ut ad humanitatem pervenirent); 5 (19) facit

---

non tam sero mihi in manus venisset, tamen consilium huius syntaxis Septimianae partis conscribendae non deposuissem, quia Langeni verba quam plurimis ex Apolegetico exemplis illustrare magno usui esse mihi videtur. Porro haud alienum a proposito existimavi totam quaestionem denuo tractare, si forte plures proprietates enumerare possem.

et hoc *ad* causam nostram. 22 (134) Sciunt daemones philosophi, Socrate ipso *ad daemonii arbitrium* exspectante. 22 (140) Laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiunt *ad miraculum* nova sive contraria, sqq. 23 (146) et si quid *ad* dedecus facit; 23 (150) nemo *ad suum dedecus* mentitur, quin potius *ad honorem.* 25 (163) frugi religio et pauperes ritus, et nulla Capitolia certantia *ad caelum*; 31 (177) Scitote ex illis praeceptum esse nobis *ad redundantiam* benignitatis etiam pro inimicis deum orare; 36 (190) officia, quibus et hostilitas magis *ad velamentum* sui potest fungi; 39 (203) fratres, qui de uno utero ignorantiae *eiusdem ad unam lucem* expaverunt veritatis; 45 (229) inde nec plenae nec adeo timendae estis disciplinae *ad* innocentiae veritatem; 46 (233) cur ergo quibus comparamur de disciplina, non proinde illis adaequamur *ad licentiam impunitatemque* disciplinae? 47: dum *ad* nostra conantur (ubi mente addendum est: pervenire); 47 (246) Ex horum semine etiam nostram hanc novitiolam paraturam viri quidam suis opinionibus *ad* philosophicas sententias adulteraverunt (i. e. perperam interpretati sunt, ut ad philosophicas sententias pervenirent i. e. eas ex ea eruerent); 47 (248) Et gehennam si comminemur, quae est ignis arcani subterraneam *ad poenam* thesaurus, proinde decachinnamur. 18 (102) Voces eorum itemque virtutes, quas *ad fidem* divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istae latent. [1]

Nunc vero transeamus ad eum „*ad*" praepositionis usum, *quo ad indicandam causam adhiberi videatur:* 21 (126) *Ad* doctrinam vero eius qua revincebantur magistri primoresque Iudaeorum, ita exasperabantur, ut postremo oblatum Pontio Pilato in crucem

---

[1] cf. etiam ad Natt. II. (308) quo magis odio vestro competebat — non *ad negationem* certare — sed *ad confessionem* singulorum scelerum (i. e. certare ut ad confessionem perveniretis); ad Natt. II. 2 (352) accedente libidine gloriae, *ad proprii ingenii opera* mutasse; ad Natt. II. 5: nam in voluptatibus quoque non tibiae aut citharae coronam *ad praemium* adiudicatis (i. e. ut praemium sit). ad Natt. II. 9; quid Sterculus meruit ad divinitatem (i. e. ut ad divinitatem perveniret.)

Iesum dedi sibi extorserint; 39 (207) Herculanarum decimarum et polluctorum sumptus tabularii supputabunt, Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis cocorum delectus indicitur, *ad fumum* coenae Sarapiacae sparteoli excitabuntur.

ad = *apud* [1] 47 (248) ubi Fuld. et inde Haverk. praebent hanc lectionem: Sic enim et Pyriphlegeton *ad mortuos* amnis est. (vulgo: apud).

ad = *in* fere positum reperitur I (3) si *ad* hanc solam speciem (= in hac specie) auctoritas vestra de iustitiae diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere. 48 (257) profani vero qui non integre *ad* deum. c. 25: ut nihil iam *ad hanc causam* sit retractandum. c. 37: expavissetis *ad solitudinem vestram* i. e. expavissetis animadvertentes in quanta versaremini solitudine. cf. c. 39: de uno utero ignorantiae eiusdem *ad unam lucem* expaverint veritatis, i. e. de tenebris ignorantiae, ex qua velut ex utero matris nascuntur Christiani, emersos expavescere splendore veritatis conspecto.

„ad" praep. nonnumquam pro Genetivo obiectivo usurpatur: 42 (220) quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem *ad vitam* necessitatis; 45 (229) tanta est prudentia hominis *ad* demonstrandum bonum quanta auctoritas *ad* exigendum.

adspicere ad 21 (132) ut ad vos quoque dominatores gentium adspiciam.

occurrere c. ad *praep.* reperitur 4 (23) cum *ad* omnia *occurrit* veritas nostra. Contra c. 46: soli innocentiae occurrimus.

contentus „ad": 2 (10) non statim confesso eo nomen homicidae vel sacrilegi vel incesti vel publici hostis, ut de nostris elogiis loquar, *contenti* sitis *ad* pronuntiandum, nisi et consequentia exigatis.

Ad *cum Gerundio et Gerundivo pro sententia finali* [2], qui

---

[1] *Rönsch* I. u. V. pg. 390. cf. *Kalb:* Roms Juristen nach ihrer Sprache dargestelt. Leipzig. 1890. pg. 62.

[2] *Kühner* II. pg. 559 sq. cf. *Hand.* Tursell. I. pg. 74 sqq.; *Holtze* I. pg. 196. *Draeger* I. pg. 532 sqq.

usus, quamquam a bonae aetatis scriptoribus omnino non alienus est, saepius tamen quam apud antiquos scriptores in Apologetico invenitur nonnullisque certe locis multo audacius: 2 (11 et 12) coetus antelucani *ad canendum* Christo et deo, et *ad confoederandam disciplinam*. 22 (136) Suppetit illis *ad utramque substantiam* hominis *adeundam* subtilitas et tenuitas sua. 24 (152) et tamen quod facinus admittit qui magis *ad Caesarem promerendum* et operam et spem suam transfert. 26 (167) agnoscimus quomodo nunc astutia suadendi nunc duritia saeviendi *ad constantiam nostram deiiciendam* operetur. 31 (176) mentiti sumus vota *ad evadendam* scilicet *vim*. 48 (256) tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum quod in isto aevo boni seu mali meruit, et exinde dependendum in inmensam aeternitatis perpetuitatem.

ADVERSUS, CONTRA, ERGA. [1]

Adversus in Apologetico eadem ratione qua *contra* praepositio, animum indicat hostilem; *erga* praepos., quamquam nonnullis locis benevolum erga aliquem animum exprimit, eandem vulgo significationem habet. Sequantur hic quam plurimi loci, qui ipsi per se perspicue ac luce clarius ostendent, quomodo eae praepositiones a Tert. adhibitae sint: 1: Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odii *erga* nomen Christianorum. 2 (14) Itaque nec in illo e forma malorum iudicandorum agitis *erga* nos [2] 2 (15) suspecta sit ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto, quae vos *adversus* formam, *adversus* naturam iudicandi, *contra* ipsas quoque leges ministret. 4 (22) ad suggillandam odii *erga* nos publici iniquitatem. 4 (23) legum obstruitur auctoritas *adversus* eam. 5 (32) quales ergo leges istae quas *adversus* nos soli exercent impii.

---

[1] *Kühner* II. § 100; *Hand.* Tursell. I. p. 178 sqq. 437 sqq. *Holtze* I. p. 209 sq. *Draeger* I. p. 550 sqq.

[2] Rönsch I. u. V. p. 398 h. l. *erga* pro *circa* scriptum esse existimat.

6 (33) de sua fide et honore et obsequio *erga* maiorum consulta. 6: quod videmini fidelissime tueri ostendam neglegi a vobis *adversus* maiorum auctoritatem. 7: hanc indicem *adversus* nos profertis. 7: ut fidem naturae ipsius appellem *adversus* eos qui sqq. 13: et quomodo vos e contrario impii et sacrilegi et inreligiosi *erga* deos vestros deprehendimini. 23 (146) quid autem iniici potest *adversus* id quod ostenditur nuda sinceritate. 23 (150) Magis fides proxima est *adversus* semetipsos confitentes. 25 (161) Misera illa coniunx Iovis et soror *adversus* fata non valuit! 25 (162) fatis dedentibus sibi Carthaginem *adversus* destinatum votumque Iunonis. 27 (166) Satis haec *adversus* intentationem laesae divinitatis. 27 (167) Spiritus qui de mentibus vestris *adversus* nos proeliatur. 27 (168) vel hoc genus poenalis servitutis erumpunt *adversus* nos; 30 (174) *Adversus* quem valere non possunt, per eum valere se recognoscunt. 35 (189) cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid *adversus* illam cogitatur. 37 (194) potuimus et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes solius divortii invidia *adversus* vos dimicasse. 46 (232) Constitimus, ut opinor, *adversus* omnium criminum intentationem. 47 (247) Omnia *adversus* veritatem de ipsa veritate constructa sunt. Videmus Tertullianum fere semper praepositionem adversus = contra scripsisse.

Insolita ratione scriptum invenitur adiectivum *caecus c. adversus* pro Genetivo 46 (237) At Christianus salvis oculis feminas non videt; animo *adversus* libidinem *caecus* est.

APUD [1]

praepositione non solum quotidianae vitae sermonem scriptores qui reddunt, (cf. Plaut. Epid. II, 266) sed etiam Tacitus aliique

[1] *Rönsch* I. u. V. pg. 391 multa huius usus exempla dat; cf. *H. Goelzer* lat. St. Hier. pg. 331. *Koffmane* Gesch. des Kirchenlateins II. pg. 142. *Kühner* II. § 98. 1. 2. 3. 4. *Hand.* Tursell. I. p. 405 sqq.; *Draeger* I. pg. 540 sqq.

posterioris aetatis auctores ita saepius utebantur ut locum significarent, *in quo*, non *iuxta quem* aliquid fieret vel factum esset; qui usus, cum fere nominibus urbium, terrarum, insularum paucisque aliis substantivis locum indicantibus, velut apud forum, apud theatrum, apud villam, contineretur, a Tertulliano multo liberius adhibitus est, sicut ex iis, quae collegi, exemplis appareat: 1 (5) Hanc itaque primam causam *apud* vos collocamus iniquitatis odii erga nomen Christianorum. 10 (60) si quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora quam *apud* ipsam Italiam; 18 (104) Hodie *apud* Serapeum Ptolemaei bibliothecae cum ipsis Hebraicis litteris exhibentur. 22 (136) Sed quomodo de angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens daemonum evaserit damnata a deo cum generis auctoribus et cum eo quem diximus principe *apud* litteras sanctas ordo cognoscitur. 22 (139) Ceterum testudinem decoqui cum carnibus pecudis Pythius eo modo renuntiavit quo supra diximus; momento *apud* Lydiam fuerat. [1] 21 (130) Cum discipulis autem quibusdam *apud* Galilaeam Iudaeae regionem ad quadraginta dies egit docens eos quae docerent; 27 (167) Sed quidam dementiam existimant, quod, cum possimus et sacrificare in praesenti et inlaesi abire manente *apud animum* proposito, obstinationem saluti praeferamus. 37 (194) Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non *apud* istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere. 40 (216) nudipedalia populo denuntiatis, caelum *apud* Capitolium quaeritis. 41: haec ita didicimus *apud* ipsum. 42 (223) quae tamen *apud* illos coetus venditantur si desideravero, liberius de propriis locis sumam.

Insolita ratione dictum est 9 (50): *apud* conscientias pulsare. —

---

[1] ad Nat. II. 12: „plane vester deus omnino Saturnus in terris humanae qualitatis *apud* veteres memorias recensetur" i. e. in annalibus vestrum. Paullo infra: exstat *apud* literas vestras usque quaque Saturni census. — ad Nat. 8. de cuius statu quod conici potest apud nostras litteras ut verisimile videatur positum est. —

Apud, idem fere significans quod *a* praepositio apud verbum passivum, obviam habemus 2 (16) *Apud tyrannos* enim tormenta etiam pro poena adhibebantur, *apud vos* soli quaestioni temperatur. 41 (217) Vos igitur inportuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum, vos malorum inlices semper, apud quos deus spernitur, statuae adorantur. 50 (267) Nam et proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem confessi estis labem pudicitiae *apud nos* atrociorem omni poena et omni morte reputari.

PENES. [1]

Penes fere semper idem significat quod *apud*, rarissime ea vi accedente ut indicet aliquid in potestate, sub imperio esse alicuius (sicut e. g. 24 (152) nam et sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summae dominationis esse *penes* unum, officia eius *penes* multos velint, ut Plato Jovem magnum in caelo comitatum exercitu describit deorum pariter et daemonum.)

Hac praepositione apud Tert etiam locus indicatur, in quo aliquid fit; quam eandem significationem *apud* praepositionem accepisse in scriptis Tertullianis supra vidimus. — 3 (21) nam nec nominis certa est notitia *penes* vos. 9 (47) Infantes *penes* Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii. 10 (59) Ante Saturnum deus *penes* vos nemo est, ab illo census totius vel potioris et notioris divinitatis. 19 (106) Superior invenitur annis circiter trecentis quam ille antiquissimus *penes* vos Danaus in Argo transvenisset. 19 (106) Moyses, *penes* quem et temporum ordo digestus ab initio suppu-

---

[1] *Sittl.* Lok. Verschiedenh. der lat. Spr. p. 136; *Dirksen* manuale p. 694a. *Koffmane* Gesch. des Kirchenlat. II. p. 141. 142.; *Rönsch* I. u. V. p. 398. *Kühner* II. § 98. 6; *Hand.* Tursell. IV. p. 422 sqq. *Draeger* I. p. 543 sq. *Kalb* „Roms Juristen" pg. 90.

tationem saeculi praestitit. 21 (124) et qui *penes* vos eiusmodi fabulas aemulas ad destructionem veritatis istiusmodi praeministraverint. 9: certissimi scilicet inlicitum esse *penes* illos per quod exorbitare eos vultis. 23 (148) si nunc denique *penes* inferos? 30 (175) Ut mirer, cum hostiae probenter *penes* vos a vitiosissimis sacerdotibus. 37 (193) quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi *penes* nos liceret? 39 (202) sed eiusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit *penes* quosdam. 39 (203) vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quae *penes* vos fere dirimit fraternitatem. — 39 (207) id vocatur quod dilectio *penes* Graecos. 39 (207) non qua *penes* vos parasiti adfectant ad gloriam famulandae libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua *penes* deum maior est contemplatio mediocrium. 46 (240) desinunt tamen Christiani haberi *penes* nos. 50 (262) haec perditio et desperatio *penes* vos in causa gloriae et famae vexillum virtutis extollunt. [1]

PER.

Quamquam multi alii scriptores hac praeporitione usi sunt, ut instrumentum significent quo quid fiat, nemo tamen totiens hanc dicendi rationem usurpavit quotiens Tertullianus. [2] 6 (37) Laudatis semper antiquitatem, et nove de die vivitis. *Per quod* ostenditur etc. 9 (46) Haec quo magis refutaverim, a vobis fieri ostendam partim in aperto, partim in occulto, *per quod* forsitan et de nobis credidistis. 9 (53) Denique inter tempta-

---

[1] cf. ad Nat. I. 12 (310) etiam de materia colitis *penes* vos cum effigie. I. 14 (315) Sunt *penes* vos et canino capite et leonino et de bove et de ariete et hirco cornuto dii. I. 14 (316) plures Onocoetae *penes* vos deprehenduntur. I. 15 (317) At et si quo genere dissimilius *penes* vos fit sqq.

[2] *Kühner* II. § 105. c.: *Hand.* Tursell. IV. pg. 429 sqq. *Draeger* I. p. 559 sqq.

menta Christianorum botulos etiam cruore distensos admovetis, certissimi scilicet inlicitum esse penes illos *per* quod exorbitare eos vultis. 9 (57) Sic *per* omnia ostendam. 15 (82) Cetera lasciviae ingenia etiam voluptatibus vestris *per* deorum dedecus operantur. 19 (110) advocandi municipes eorum *per* quos notitia subministrata est. 19 (112) Graecorum etiam censuales conferendi, ut quae quando sint gesta, ut concatenationes temporum aperiantur, *per quae* luceant annalium numeri. 21 (122) *per* quae omnia molitum deum ediximus. 21 (131) discipuli Romae postremo *per* Neronis saevitiam sanguinem Christianum seminaverunt. 35 (182) Sicine exprimitur gaudium publicum *per* publicum dedecus. 47 (244) *per quod* in incertum miscuerunt etiam quod invenerant certum 47 (247) regula veritatis, quae veniat a Christo, transmissa *per* comites ipsius. 50 (261) Ergo, inquitis, cur querimini quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis *per quos* patimini quod vultis?

ANTE ET POST. [1]

Mira dicendi brevitate hae praepositiones ad tempus indicandum usurpantur. Quamquam apud bonae aetatis scriptores *ante et post* praepositiones coniunctae reperiuntur cum substantivis tempus indicantibus e. g. post, ante mortem, meridiem etc., eum tamen usum apud Tertullianum translatum esse videmus ad alia quoque substantiva ita, ut solae praepositiones tempori notando adhibeantur, quo fit ut saepenumero mente addendum sit participium vel tota sententia, quae coniunctione *antequam* praecedentibus iungatur. 3 (19) Alii quos retro *ante hoc nomen* vagos, viles, inprobos noverant, ex ipso denotant quod laudant; (i. e. antequam hoc nomine nominarentur). [2]

---

[1] cf. *Kühner* II. p. 388; 2. 3. *Hand.* Tursell. I. p. 361 sqq. et 487 sqq. *Draeger* I. p. 555. 556.

[2] cf. ad Nat. I. 4: Alii quos retro *ante hoc nomen* vagos, viles, improbos norant.

3 (22) ideoque *ante odium nominis* competebat prius de auctore sectam recognoscere vel auctorem de secta (i. e. antequam odium nominis susciperetur).. 10 (59) *Ante Saturnum* deus penes vos nemo est (i. e. antequam Saturnus vixit). 11 (64) Vani erunt homines, nisi certi sint, omnem frugem *ante* Liberum et Cererem et Minervam, immo *ante* illum aliquem principem hominem de terra exuberasse. 12 (69) Cervices ponimus: *ante* plumbum et glutinum et gomphos sine capite sunt dii vestri (i. e. antequam plumbati sunt et glutine ac gomphis compacti et constricti). 26 (166) Regnaverunt et Babylonii *ante* Pontifices, et Medi *ante* Quindecemviros et Aegypti *ante* Salios et Assyrii *ante* Lupercos et Amazones *ante* Virgines Vestales. 34 (181) Maledictum est *ante* apotheosin deum Caesarem nuncupare.

2 (17) vel ne compulsus negare non ex fide negarit et absolutus ibidem *post tribunal* de vestra rideat aemulatione iterum Christianus? (i. e. postquam iudicium peractum est). 4 (23) ut aut nihil dicatur retractandum esse *post leges* aut ingratis necessitas obsequii praeferatur veritati (i. e. postquam leges perlatae sunt.) 4 (25) Nonne vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt quam Iuliae matrimonium contrahi, *post tantae auctoritatis senectutem* heri Severus constantissimus principum exclusit? (i. e. postquam per multos annos tantam auctoritatem habuerunt.) 7 (38) Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde, et *post convivium* (i. e. postquam convivium finitum est) incesto quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, libidinum impiarum in verecundiam procurent. (cf. van der Vliet: Stud. Eccl. pg. 34. qui proponit codicum aliquot lectionem: quod eversores luminum canes, lenones scilicet libidinum inpiarum, tenebrarum inverecundia procurent.) 9 (56. 57) Nos ab isto eventu diligentissima et fidelissima castitas sepsit, quantumque ab stupris et ab omni *post matrimonium* (i. e. postquam matrimonium iunctum est) excessu < abstinemus: v. d. Vliet. Stud. Eccl. pg. 35 >, tantum et ab incesti casu tuti sumus. 10 (60) apud ipsam

Italiam, in qua Saturnus *post multas expeditiones postque Attica hospitia* consedit (i. e. post multas expeditiones factas et postquam in Attica hospes fuit.) 10 (61) tota denique Italia, *post Oenotriam*, Saturnia cognominabatur (i. e. postquam antea Oenotria cognominata est). 11 (64) quia nihil continendo et sustinendo homini prospectum *post hominem* potuit inferri (i. e. postquam homo natus est). 22 (140) Laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiunt ad miraculum nova sive contraria, *post quae* (i. e. postquam ea praeceperunt) desinunt laedere, et curasse creduntur. 25 (163) cum *post imperium* sive adhuc regnum religio profecerit (i. e. postquam imperium floruit). 30 (175) *post omnia inquinamenta* etiam conscientiam spurcam sc. offero (i. e. postquam omnia inquinamenta obtuli). 35 (187) Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores cotidie revelantur, *post vindemiam* parricidarum racematio superstes. 35 (189) Cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut *post illam* speratur et sustinetur? 39 (208) *Post aquam manualem et lumina*, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium deo canere (i. e. postquam manus aqua laverunt et lumina accensa sunt). 42 (222) Attamen lavor honesta hora et salubri, quae mihi et calorem et sanguinem servet; rigere et pallere *post* lavacrum mortuus possum [1].

Post praepositio ad comparationem indicandam et ordinem eodem sensu, quo *secundum*, usurpata apud Sallustium primum invenitur neque apud posterioris aetatis scriptores multis locis legitur (cf. Kühner II. pg, 390 c.) 30 (173) Sentiunt eum esse deum solum in cuius potestate sunt, a quo secundi, *post quem* primi. —

Ante praepositio, de ordine dicta, quamquam frequentius

[1] cf. ad Natt. II. 12: nam post plurimas terras et Attica hospitia Italiae — consedit (i. e. postquam plurimas terras vidit). — ad Natt. II. 17: nam post summum imperium auctis iam rebus superstitio floruit (i. e. postquam ad summam pervenit amplitudinem imperium). —

reperitur, a Cicerone tamen et Caesare evitatur. 30 (173) *ante omnes* et super omnes deos.

CIRCA.[1]

Ex Quinctiliani temporibus haec praepositio idem fere valet quod apud Graecos κατά c. Acc. et apud bonae latinitatis scriptores: *in*, *de*, *ad*, *erga*, *quod attinet ad.* Hand. Tursell. II. pg. 66. magnum exemplorum numerum ex Quinctiliano, Suetonio, in universum ex posterioribus scriptoribus collegit. Exempla, quae mihi ex Apologetico commemoratione digna visa sunt hic sequuntur: 2 (15) Si non ita agitis *circa* nos < ut *circa* > (cf. quae supra de hoc loco diximus) nocentes, ergo nos innocentissimos iudicatis. 6 (35) *Circa* feminas quidem etiam illa maiorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae sobrietati patrocinabantur. 6 (36) Etiam *circa ipsos deos vestros* quae prospecte decreverant patres vestri, idem vos obsequentissimi rescidistis. 22 (140) Benefici plane et *circa curas* valitudinum. 36 (190) Sed in his moribus, quibus divinitas imperat tam vere quam *circa omnes* necesse habent exhiberi.

Circum praepositio apud Tertullianum non reperitur (cf. Langen, in opere supra laudato).

PROPTER.

Haec praepositio causam indicat, qua quis ad agendum perducatur. 35 (183) qui observant disciplinam de Caesaris respectu, hi eam *propter Caesarem* deserunt.

Locum, iuxta quem aliquid fit, nusquam „propter" praepositione indicatum inveni.

---

[1] *Kühner* II. pg. 395. 2. a. 2.; *Draeger* I. p. 574 sqq.

Memorandum est in huius temporis latinitate saepe „*merito*" usurpari eâdem significatione ac „propter".[1] Apud Scriptt: hist. Aug. quoque „alicuius merito" explicari potest per: „propter aliquid". 14 (78) Est et ille de lyricis (Pindarum dico) qui Aesculapium canit *avaritiae merito*, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum. 25 (164) Certe non potest fidei convenire, ut *religionis meritis* excrevisse videantur qui, ut suggessimus, religionem aut laedendo creverunt aut crescendo laeserunt.

A, AB.

Quod ad hanc praepositionem attinet, pauca tantum digna quae memorentur, invenimus. 15 (84) Vidimus aliquando castratum Attin, illum deum *a* Pessinunte. (Variae lectiones: illum deum ex Pessinunte; illum deum vestrum e P. λ). cf. porro ad Natt. I.10 (307) Ibidem p. 301. Horum si vos saltem integrum honoribus vestris rei essetis laesae religionis, sed invenio conspirasse *a vobis* tam superstitionis quam impietatis profectum. I. 15 (317) immo superacervabitur in vobis quicquid *ab alia ratione* defecerit. I. 16 (322) illi, quod alumnus in pueritia perisset: ille, se quoque *a pueritia* perisse, I. 17 (324) Vanitatis sacrilegia conveniam et ipsius vernaculae gentis inreverentiam recognoscam et festivos libellos quos statuae sciunt et illa obliqua nonnumquam dicta *a concilio* atque maledicta quae circi sonant. —

---

[1] *Koffmane* Gesch. des Kirchenlat. I. p. 142. *Sittl.* lok. Versch. der lat. Spr. p. 135.; *Paucker*, scrutarium 10; *Dressel.* lexical. Bemerk. zu Firm. Mat. Zwickau. 1882. p. 24; *Rönsch* I. u. V. p. 398. *Goelzer* lat. de St. Jérome p. 333. —

CUM.

Cum praepositio a communi consuetudine non discrepat, nisi quod interdum ablativo qui dicitur instrumenti adicitur, velut: 11 (64) semel utique in ista constructione dispositum et instructum et ordinatum *cum omni rationis gubernaculo* inventum est. 15 (84) Risimus et inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem, vidimus et Iovis fratrem gladiatorum cadavera *cum malleo* deducentem. (cf. Hor. Carm. I. 10. 18: virgaque levem coerces Aurea turbam).

Praeterea commemorandum videtur 2 (11) De nobis nihil tale, cum aeque extorqueri oporteret, quod *cum falso* iactatur. (hanc lectionem praebent Put. Goth. Ampl. Lugd. II, Agob.) cf. *de* falso (Ap. 23) et: *ex* falso (praescr. 17).

EX.

Ex praepositione Tertullianus utitur ad eandem fere vim indicandam quam habet Ablativus instrumenti: 17 (99). Vultis *ex* operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis *ex* animae ipsius testimonio comprobemus? 21 (131) *Ex* eo enim quod aliud a se coli dicit quam colit, negat quod colit. 31 (176) Scitote *ex illis* praeceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis deum orare et persecutoribus nostris bona precari. 46 (232) Ostendimus totum statum nostrum *ex fide* scilicet et antiquitate divinarum litterarum, item *ex* confessione spiritualium potestatum. [1]

Digna porro quae commemorentur videntur 28 (169) ne conveniat Ianus iratus *ex qua velit fronte* (= *a* qua v. fr.).

---

[1] cf. ad Nat. I. 10: corpora exanimata iam mortemve simulantia *cauterio* probat. cf. Apol. 15 (84) Cauterio examinantem. —

c. 22 (138): Et quae illi accuratior pascua est, quam ut hominem *e* cogitatu (= *a* cogitatu) verae divinitatis avertat praestigiis falsis? (e cogitatu: ADE abcde. Vindob. Erfurt. Oxon. Ambros.; et cogitatu B.; ecogitatum G; a cogitatu F.; a recogitatu λf. Haverc.). — 21 (130) Discipuli quoque diffusi per orbem *ex praecepto* magistri dei paruerunt = praecepto paruerunt (*ex* om. f.). 2 (17) vel ne compulsus negare non *ex fide* negarit (cf. c. 35 religiosi *ex fide*), 4 (24). Vim profitemini et iniquam *ex arce* dominationem. 16 (97) Haec *ex abundanti*, [1] ne quid rumoris inrepercussum quasi de conscientia praeterissemus. 36 (191) Male enim velle, malefacere, maledicere, male cogitare de quoquam *ex aequo* vetamur. [2] 48 (251) Multis etiam iocis *ex otio* opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire etc. (locus corruptus: locis ex otio ABEGλ de. Vindob. Erfurt. Pamelii libri; locis exitio F. locis exoptio Dab.; locis et ocio c.; iocis et ocio f. Haverc. Fulvius Ursinus).

Ex causa vocibus Tert. utitur 39 (202) et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat *ex causa* dei sectae, alumni confessionis suae fiunt.

PRO.

Quod ad *pro* praepositionem attinet, non multum libertatis in ea Tertullianus sibi permisit. Insolita ratione scripsit 5 (34) leges, quae patricium *pro* magno titulo ambitionis senatu submovebant (= quasi haec magna esset causa cur quis ambitionis accusaretur, Belgice: „als ware dit eene belangrijke reden om iemand van praalzucht te beschuldigen). 25 (157) Non omittam

---

[1] cf. Archiv VII. 216. cf. *Leipold* über die Sprache des Juristen Aemilius Papinianus p. 38.

[2] cf. *Kellner* Sprachl. Eig. Tert. *Kalb* Roms Juristen pg. 24; 112. 112 A. 1; 130.

congressionem, quam provocat illa praesumptio dicentium Romanos *pro* merito religiositatis (cf. 25. (164) *relegionis meritis*) diligentissimae in tantum sublimitatis elatos. 27 (169) illos numquam magis detriumphamus quam cum *pro fidei obstinatione* damnamur. 42 (225) Sed cetera vectigalia gratias Christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus, ut, si ineatur quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela conpensata *pro commodo* ceterarum rationum (= commodo cet. rat.) 45 (230) Recogitate ea etiam *pro brevitate* supplicii cuiuslibet, non tamen ultra mortem remansuri. (cf. Kalb. Roms Juristen. pg. 140).

Insolitam circumscriptionem obviam habemus 24 (151) Si enim non sunt dei *pro certo*, nec religio *pro certo* est; si religio non est, quia nec dei *pro certo*, nec nos *pro certo* rei sumus laesae religionis.

Etiam *consilium* hac praepositione indicare Tertullianus non dubitavit (cf. Sittl. lok. Versch. der lat. Spr. p. 136) 25 (158) Scilicet ista merces Romanis a deis *pro gratia* expensa est. (i. e. grati animi testificandi causa).

DE.[1]

Saepissime *de* praepositione utitur Tertullianus, ubi *a* vel *ex* praepositiones exspectes.[2] 2 (18) Denique qui *de* tabella recitatis illum Christianum, cur non et homicidam? 2 (15) Veritatis extorquendae praesides *de* nobis solis mendacium elaboratis audire. 2 (14) qui hodie *de* confesso homicida ordinem extorquetis admissi. 2 (17) Cum igitur in omnibus nos aliter disponatis quam ceteros nocentes, ad unum contendendo, ut *de* eo nomine excludamur. 9 (52) item illi qui *de* arena ferinis

---

[1] cf. *Kühner* II. p. 362 § 91. *Hand.* Tursell. II. p. 183 sqq. *Reisig.* Vorles. p. 720 sqq. *Kalb.* Roms Juristen pg. 69.

[2] *Rönsch* I. u. V. p. 395.

obsoniis coenant, qui *de* apro, qui *de* cervo petunt. 10 (61) Tamen si homo Saturnus, utique *ex* homine, et quia *ab* homine, non utique *de* caelo et terra. (*ex*, *ab*, *de* idem hoc loco valent). 11 (64) Vani erunt homines, nisi certi sunt, omnem frugem ante Liberum et Cererem et Minervam, immo ante illum aliquem principem hominum *de* terra exuberasse. (Videmus h. l. praepositionem *de* usurpari, ut motum ex inferiore in superiorem locum factum significet, quamquam in bona latinitate movendi ex superiore in inferiorem locum habet significationem cf. *tangere de coelo.*). [1] 12 (68) et sacra *de* fabulis recognosco. 13 (76) cum *de* paedagogiis aulicis nescio quem synodi deum facitis. 13 (72) Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando, venditando, demutando, aliquando in caccabulum *de* Saturno, aliquando in trullam *de* Minerva. 14 (77) Laudabo magis sapientiam, quod *de* perdito aliquid eripitis. 15 (86) Certe sacrilegi *de* vestris semper adprehenduntur. 16 (87) qui forte *de* pastu potum petituri aestimabantur. 19 (106) Moyses, qui vim cataclysmi *de* praeterito exorsus est. 21 (125) cum ille verbo daemonia *de* hominibus excuteret. 22 (136) Sed quomodo *de* angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens daemonum evaserit. 23 (144) qui aris inhalantes numen *de* nidore concipiunt. 23 (148) si post mortem *de* sepulchro a discipulis subreptus? 27 (168) et quos *de* longinquo oppugnant, *de* proximo obsecrant. 29 (171) eae ipsae materiae *de* metallis Caesarum veniunt. 30 (174) quia *de* pectore oramus. 30 (175) orationem *de* carne pudica, *de* anima innocenti, *de* spiritu sancto profectam. 32 (178) Ceterum daemonas, id est genios, adiurare consuevimus, ut illos *de* hominibus exigamus. 35 (187) Unde qui armati palatium inrumpunt? *De* Romanis, nisi fallor, id est *de* non-Christianis. 35 (186) nihil hosticum *de* ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat. 37 (192) Ipsis Bac-

---

[1] cf. ad Nat. II. 14: hunc vos *de* pyra in coelum sublevastis. ad Nat. II. 4: sursum mens ascendere debuit *de* statu mundi, non in incerta descendere.

chanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos *de* requie sepulturae, *de* asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos avellant, dissecent, distrahant. 39 (200) Etiam si quod arcae genus est, non *de* oneraria summa quasi redemptae religionis congregatur. 41 (219) Atquin nos nullo modo laedimur: imprimis quia nihil nostra refert in hoc aevo nisi *de* eo quam celeriter excedere. 42 (222) attamen ubi *de* copiis tuis coeno. 42 (223) Spectaculis non convenimus; quae tamen apud illos coetus venditantur si desideravero, liberius *de* propriis locis sumam. 43 (226) Quanti habetis, non dico qui iam *de* vobis daemonia excutiant. 47 (242) Quis est qui non omnino *de* prophetarum fonte potaverit? Inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quae *de* nostris habent, ea nos comparent illis. 47 (247) Omnia adversus veritatem *de* ipsa veritate constructa sunt. 48 (250) At enim Christianus si *de* homine hominem ipsumque *de* Gaio Gaium reducem repromittat. 48 (253) Cur non possis esse rursus *de* nihilo eiusdem ipsius auctoris voluntate qui te voluit esse *de* nihilo. 48 (253) Dubitabitur, credo, de dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi *de* eo quod non fuerat non minus quam *de* morte vacationis et inanitatis sibi posuit. 48 (255) vel *de* titulo Pythiae discens. 4 (258) Ita longe alius est qui usui humano, alius qui iudicio dei apparet, sive *de* caelo fulmina stringens, sive *de* terra per vertices montium eructans.

Saepissime etiam *de* praepositio ita adhibita invenitur, *ut originem significet, unde aliquid sit repetendum, vel rem, de qua aliquid nomen habeat, vel causam qua aliquid fiat.* Ad hanc partem multa quoque exempla, quae supra laudata sunt, pertinere unusquisque facile videt. cf. 1. (6). Ex his fiunt Christiani, utique *de comperto* (i. e. ut qui rem habeant compertam), et incipiunt odisse, quod fuerant. 1 (18) Ut nomen

illius aemulae rationis inimicum praesumptis, non probatis criminibus *de* sua sola confessione damnetur. 3 (22) Quid novi, si aliqua disciplina *de* magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne philosophi *de* auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei? 3 (22) Plane si qui probavit malam sectam et ita malum et auctorem, is probabit et nomen malum dignum odio *de* reatu sectae et auctoris, ideoque ante odium nominis conpetebat prius *de* auctore sectam recognoscere vel auctorem *de* secta. 3 (21) Sed et cum perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis *de* suavitate vel benignitate compositum est (i. e. vocis Chrestiani origo repetenda est a vocabulo, quod suavitatem indicat [1]. 4 (27) si vero facta, cur *de* solo nomine puniunt facta, quae in aliis *de* admisso, non *de* nomine probata defendunt. 7 (38) Dicimur sceleratissimi *de* sacramento infanticidii et pabulo inde. 7 (38) *De* vestra vobis dissimulatione praescribitur non esse quod nec ipsi audetis eruere. (*praescribi de* idem fere h. l. valet quod: *effici ex;* cf. ea, quae infra de hoc verbo sunt dicta). 9 (49) An hoc turpius, quod mali hominis? certe tamen *de* homicidio funditur. 9 (52) Ipsorum ursorum alvei appetuntur cruditantes adhuc *de* visceribus humanis. 14 (78) Est et ille *de* lyricis (Pindarum dico). 15 (85) *De* contemptu utique censentur tam eorum qui eiusmodi factitant quam eorum quibus factitant. 16 (97) ne quid rumoris quasi *de* conscientia praeterissemus. 16 (96) et *de* capro et *de* ariete cornutos. 16 (91) Diximus originem deorum vestrorum a plastis *de* cruce induci. 17 (97) Deus, qui totam molem *de* nihilo expressit. 18 (102) *De* vestris sumus; fiunt, non nascuntur Christiani. 18 (102) Quos diximus praedicatores, prophetae *de* officio praefandi vocantur. 18 (104) Sed ne notitia vacaret, hoc quoque a Judaeis Ptolemaeo subscriptum est septuaginta et duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque philo-

---

[1] ad Natt. I. 3: Christianum vero nomen, quantum significatio est, de unctione interpretatur. Etiam cum corrupte a vobis Chrestiani pronuntiamur, sic quoque de suavitate vel bonitate modulatum est.

sophus, providentiae vindex, *de* sententiae communione suspexit. 19 (106) adeo respici potest, tam iura vestra quam studia *de* lege *de*que divina doctrina concepisse. 19 (107) sunt vestrae Sibyllae nomen *de* veritate mentitae, quemadmodum et dei vestri. 19 (106) *De* sophia amor eius philosophia vocitatus est, *de* prophetia affectatio eius poeticam vaticinationem deputavit. 19 (107) Multis adhuc de vetustate modis consisterem divinarum litterarum, si non maior auctoritas illis ad fidem *de* veritatis suae viribus quam *de* aetatis annalibus suppetisset. 21 (120) non *de* sororis incesto nec *de* stupro filiae aut coniugis alienae deum patrem passus est. 21 (121) Ceterum dei filius nullam *de* impudicitia habet matrem. 21 (123) Ita *de* spiritu spiritus et *de* deo deus ut lumen *de* lumine accensum. 21 (125) Quem igitur solummodo hominem praesumpserant *de* humilitate, sequebatur uti magum aestimarent *de* potestate. 22 (135) Nam et Satanan, principem huius mali generis, proinde *de* propria conscientia animae eadem exsecramenti voce pronuntiat. 23 (149) Atquin omnis haec nostra in illos dominatio et potestas *de* nominatione Christi valet et *de* commemoratione eorum quae sibi a deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. 23 (150) Ita *de* contactu *de*que afflatu nostro contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti. 24 (152) Nonne conceditis *de* aestimatione communi aliquem esse sublimiorem sqq. 25 (163) Atquin quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo *de* inreligiositate provenit? 25 (163) nulla Capitolia certantia ad caelum, sed temeraria *de* cespite altaria. 29 (171) et tota templa *de* nutu Caesaris constant. 31 (177) qui magis inimici et persecutores Christianorum quam *de* quorum maiestate convenimur in crimen? 35 (183) qui observant disciplinam *de* Caesaris respectu. 35 (183) religio secundae maiestatis, *de* qua in secundum sacrilegium convenimur Christiani. 37 (191) ne *de* facto pares simus. 39 (208) *de* religionis officio nihil vilitatis admittit. 39 (199) Corpus sumus *de* conscientia religionis et disciplinae divinitate et spei foedere. 39 (203) qui *de* uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverunt veritatis. 39

(202) sanguinis nomen *de* affectione simulatum est. 39 (208) Post aquam manualem et lumina, ut quisque *de* scripturis sanctis vel *de* proprio ingenio potest, provocatur in medium deo canere. 44 (227) *De* vestris semper aestuat carcer, *de* vestris semper metalla suspirant, *de* vestris semper bestiae saginantur, *de* vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. 46 (233) cur ergo quibus comparamur *de* disciplina? 46 (235) neque *de* scientia neque *de* disciplina, ut putatis, aequamur. 47 (248) Unde haec, oro vos, philosophis aut poëtis tam consimilia? Nonnisi *de* nostris sacramentis, ut *de* prioribus,... si *de* suis sensibus sq. 48 (255) Omnia *de* interitu reformantur, omnia pereundo servantur. 49 (260) sed et quidam vestrum, quibus favor vulgi *de* iniquitate captatur, gloriantur. [1]

Ad ablativum, qui dicitur, instrumenti, nonnumquam a Tertulliano de *praepositio additur*[2]. cf. 1 (3) si ad hanc solam speciem auctoritas vestra *de* iustitiae diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere (*de* iustitiae diligentia i. e. *iustitia diligenti, iuste ac diligenter*). 6 (36) Ubi est illa felicitas matrimoniorum *de* moribus utique prosperata. 10 (58) Si et ipsa inficias ierit, *de* suis antiquitatum instrumentis revincetur. 21 (116) vel quia praeter aetatem neque *de* victus exceptionibus neque *de* solemnitatibus dierum neque *de* ipso signaculo corporis neque *de* consortio nominis cum Judaeis agimus. 21 (117) Unde illis tanta felicitas, ut *de* dei vocibus, quibus edocebantur, de promerendo deo et non offendendo praemonerentur. 23 (144). Aeque producatur aliquis ex his qui

---

[1] cf. *Goelzer:* Latinité de St. Jérome p. 341. II. 1. 2. 3. 4. —

[2] cf. *Sittl.* lok. Versch. p. 126. *Draeger* I. p. 630; *Rönsch* I. u. V. p. 392. 426 sq. *Koffmane:* Gesch. des Kirchenl. II. p. 142; *Hand.* Turs. II. p. 219 sqq; *Hildebr.* ad Apul. Metam. VIII. 8. p. 668. et ad Arnob I. 39. p. 61 sq.

de deo pati existimantur (interdum enim, cum *per* homines vel *ab* hominibus aliquid fit, eadem praepositione Tert. utitur.) 23 (151) Colitis illos, quod sciam, etiam *de* sanguine Christianorum. 27 (167) Ille scilicet spiritus daemoniacae et angelicae paraturae *de* mentibus vestris adversus nos proeliatur. 39 (207) Coena nostra *de* nomine rationem sui ostendit. 46 (232) Qui nos revincere audebit, non arte verborum, sed eadem forma qua probationem constituimus, *de* veritate? (vel: op grond van de waarheid?) 50 (266) quantum *de* monumentis potestis scilicet, praestatis et ipsi quodammodo mortuis resurrectionem [1].

„De" praepositio pro Ablativo Partitivo: 5 (28) Scit M. Aemilius de deo suo Alburno (Belg: Daarvan is getuige M. Aemilius ter zake van zijn god Alburnus). 5 (31) Temptaverat et Domitianus, portio Neronis *de* crudelitate. 9 (49) O Jovem Christianum et solum patris filium *de* crudelitate. 9 (52) Ructatur proinde ab homine caro pasta *de* homine. 11 (67) aliquem *de* sapientia (ter zake van) Socraten, *de* iustitia Aristiden, *de* militia Themistoclen, *de* sublimitate Alexandrum, *de* felicitate Polycraten, *de* copia Croesum, *de* eloquentia Demosthenen. (Non assentior Langeno putanti h. l. *de* praepositionem circumscribere Genetivum casum, neque Sittlio (lok. Versch. der lat. Spr. p. 127) docenti *de* praepositionem h. l. vim habere instrumentalem.) 12 (68) *Quantum* igitur *de* deis vestris, nomina solummodo video quorumdam veterum mortuorum et fabulas audio et sacra de fabulis recognosco: *quantum* autem *de* simulacris ipsis, nihil aliud reprehendo quam etc. 35 (185) *De* nostris annis augeat tibi Juppiter annos! 42 (221) Quomodo

---

[1] cf. ad Nat. I. 4 (281) Nam et ipsa per se traducitur disciplina, nec aliunde prodimur quam *de* bono nostro, si (= si quidem) et mali de suo malo rabiant (Sic et mali de suo malo radiant? Reiff.) cur nos soli contra instituta naturae pessimi de bono denotamur? —

infructuosi videmur negotiis vestris, cum quibus et *de* quibus vivimus, non scio. 48 (250) propterea persuasum quis habeat, ne forte bubulam *de* aliquo proavo suo obsonet? cf. ad Nat. I, 8: Sed *de* superstitione tertium genus deputamur, non *de* natione, ut sint Romani, Judaei, dehinc Christiani.

Pro Genetivo casu in Apologetico saepius de *praepositio usurpata invenitur;*[1] cuius usus cum partitiva significatione fere confluentis exempla in archaica iam latinitate obviam habemus (cf. *Schmilinsky*: de proprietate sermonis Plautini pg. 9. *Draeger* I pg. 459 sq. 628. *Köhler*, acta sem. Erl. I. 439): 6 (34) Video et inter matronas atque prostibulas nullum *de habitu* discrimen relictum. 14 (77) Volo et ritus vestros recensere, non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis, cum *de opimis et integris* supervacua quaeque truncatis, capitula et ungulas quae domi quoque pueris vel canibus destinassetis, cum *de decima* Herculis nec tertiam partem in aram eius inponitis. 25 (164) Tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot *de deis* quot *de gentibus* triumphi, tot manubiae quot manent adhuc simulacra captivorum deorum. (Pro „tot de deis" in AB est „tot deis," in G „quot deis," in F „tot dies," sed m. sec. F habet superscriptum „edes" pro „dies"). 39 (209) Haec coitio Christianorum merito sane inlicita, si inlicitis par, merito damnanda, si quis de ea queritur eo titulo quo *de factionibus* querela est.

De praepositio pro *ablativo pretii.* 3 (20) Nonnulli etiam *de utilitatibus suis* cum odio isto paciscuntur, contenti iniuria, dum ne domi habeant quod oderunt.

Porro commemoratione dignus videtur *de* praepositionis usus in:

de cetero = in posterum, in ceterum[2] 1 (11) ipsa tamen multitudine perturbatus, quid *de cetero* ageret.

de comperto 1 (6) Ex his fiunt Christiani, utique *de comperto.*

---

[1] cf. *Rönsch* I. u. V. p. 396 et 426. A.a; *Sittl.* lok. Versch. pg. 126.

[2] *Paul.* Dig. XLVIII. 3. 10. *Cod. Justin.* VIII. 54. 37. *Senec.* Ep. 78.

de praeterito 2 (17) Vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem, et quidem invitum iam nec *de praeterito* reum.

de die 6 (37) Laudatis semper antiquitatem et nove *de die* vivitis (i. e. „de die in diem" vel ut rationem dicendi Ciceronianam sequamur: „in dies"). Eam esse horum verborum sententiam his locis collatis apparet: ad Nat. I (7) atquin et idem vocamur et in isdem deputamur et *de die* redundamus. i. e. in dies nostrorum numerus augetur, et ad Nat. I. 20: de legibus quidem iam supra dictum est, quod eas novis *de die* consultis constitutisque obruistis. — cf. de Paenit. 12 „aut idem *de die* sperent. [1]

de vero, de falso 23 (144) iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur *de vero* quam alibi deum *de falso*. (cf. van der Vliet: Stud. Eccl. p. 37).

Insolita ratione constructum est verbum „curare" cum *de* praepositione pro Accusativo casu: 39 (204) Quid enim *de castitate curarent*, quam mariti tam facile donaverant. 31 (176) Quid ergo putaveris nihil nos *de* salute Caesarum *curare*. Opponitur: *neglegere* DE cf. infra.

Ex libris „ad Nationes" haec quoque usus „de" praepositionis a bona latinitate alieni exempla collegimus: I. 7 (286) Habet quidem grande fundamentum *de* vitio ingenii humani, felicius in acerbis atrocibusque mentitur. I. 8 (294) Sed *de* superstitione tertium genus deputamur, non *de* natione, ut sint Romani, Iudaei, dehinc Christiani. I. 8 (292) Psammetichus quidem putavit sibi *de* („sibi de" Gothofredus; „tibi se" A ab.) ingenio exploratum esse de primogenitis. I. 9 (297) Quodsi, ut unus atque alius vanissimus ait, idcirco vobis quoque irascuntur, quoniam *de* nostra eradicatione negligitis, absolutum est *de* infirmitate et mediocritate eorum. I. 10 (303) senex *de* Saturno, imberbis *de* Apolline, virgo de Diana figuratur. I. 14 (315) Sunt penes vos et canino capite et leonino et *de* bove et *de* ariete et hirco cornuti dii. I 18 (326) Contenti estote

[1] *Drakenbr.* ad Liv. XXV. 28. *Hand.* Tursell. II. p. 205.

detrahere etiam laude parentum ad praesens, ne nobis locum detis *de* his. I. 18 (327) Si contemptu scilicet mortis gladius *de* maioribus fabulas fecit, utique non vitae amore gladio vos ad lanistas auctoratis, sed mortis nomen militiae datis. I. 19 (329) Nec mythici ac poëtici soli talia canunt, sed et philosophi *de* animarum reciprocatione et iudicii distributione confirmant. II. 11 (370) inanimales et nomina *de* rebus efflagitant caelo et sanciunt. II. 12 (378) Sed et pepererit, certe extra Saturnum neminem procreaverunt nisi unam postea Opem; exinde *de* subole cessatum est. II. 12 (383) Adhuc *de* Saturno immorabor quo et ceteris compendium praestruam. II. 15 (395) Longum foret recensere etiam *de* illis quos in sidera sepelistis et audaciter deis ministratis. Sic opinor digni *de* caelo Castores et Perseus et Erigona, quemadmodum et Iovis exoletus.

IN. [1]

Sicut *de*, etiam *in* praepositio multas offert proprietates, quae commemoratione dignae et a bona latinitate plus minusve alienae sunt. Primum agemus de „in" *praepositione cum Accusativo, quae*, quamquam in bona latinitate proprie coniuncta esse debet cum verbis, quae movendi significationem habent, *in Apologetico tamen non raro ita posita reperitur, ut a verbo pendeat cuiuslibet alius significationis et movendi notio mente sit addenda.* 7 (38) Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde, et post convivium incesto quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, libidinum impiarum *in verecundiam* procurent. (cf. v. d. Vliet: Stud. Eccl. p. 34). 7 (43) Hanc (sc. famam) indicem adversus nos profertis, quae quod aliquando iactavit tantoque temporis spatio *in* opinionem

---

[1] cf. *Kühner* II § 107. *Hand.* Tursell. III. p. 243 sqq. *Draeger* I. p. 603 sqq. —

corroboravit usque adhuc probare non valuit, i. e. fama id, quod adeo corroboravit ut crederetur, usque adhuc probare non valuit. (in nonnullis enim exemplis, quae nunc proferentur *in* praepositione id significatur, quod actione efficitur.) 10 (62) Taceo quod ita rudes adhuc homines agebant, ut cuiuslibet novi viri adspectu quasi divino commoverentur, cum hodie iam politi quos ante paucos dies luctu publico mortuos sint confessi *in deos* consecrent, i. e. consecrant eos ut in deorum numerum recipiantur. 11 (65) Quamobrem si ab initio et instructa et certis exercendorum officiorum suorum rationibus dispensata universitas constitit, vacat ex hac parte causa allegandae humanitatis *in divinitatem.* 12 (70) *In* metalla damnamur: inde censentur dei vestri. 14 (78) Jovem, nunc flentem Sarpedonis casum nunc foede subantem *in sororem* sub commemoratione non ita dilectarum iampridem amicarum. 22 (139) In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent *in eventus* sciunt Croesi, sciunt Pyrrhi, i. e. ita temperent, ut eventus habeant. 47 (244) Nam et si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupulositas humana fidem aspernata nutabat, per quod *in incertum* miscuerunt etiam quod invenerant certum, i. e. miscendo rem certam incertam reddere. (in incertum λ *f.* Haverc. „incertum" reliqui). 50 (263) Anaxarchus. cum *in exitum* tisanae pilo contunderetur sqq.; 50 (266) Et tamen illis omnibus et statuas defunditis et imagines inscribitis et titulos inciditis *in aeternitatem* („in" om. ab.) [1]

Vidimus iam supra *in praepositionem* consilium posse significare; *hanc vim ei voculae saepenumero inesse et aliunde constat et exemplis infra allatis ostendetur.* Apud optimi temporis scriptores ad consilium indicandum adhibentur: ut, coni.

---

[1] cf. ad Nat. II. 1: sed enim multa sunt, quibus teneritas conscientiae obduratur *in callositatem* voluntarii erroris, i. e. obdurando pervenit ad callositatem. ad Nat. II. 15: quos *in sidera* sepelistis, i. e. quos sepelientes in sidera recepistis. ad Nat. II. 15: orbana, quae *in orbitatem* semina extinguat, i. e. semina extinguat, ut orbitas efficiatur. —

fin., ad cum gerund., supinum in „um" desinens, Participium Futuri Activi [1].

Graeci scriptores ita εἰς praepositione usi sunt [2]. 14 (79) Taceo de philosophis, Socrate contentus, qui *in contumeliam* deorum quercum et hircum et canem deierabat: 17 (97) Quod colimus, deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, *in ornamentum* maiestatis suae. 18 (102) ut qui producto aevo isto iudicaturus sit suos cultores *in* vitae aeternae *retributionem*, profanos in ignem aeque perpetem et iugem. (restitutionem λ. Haverc. „dispositionem" Vaticanus unus). 21 (133) sed qui iam expolitos et ipsa urbanitate deceptos *in agnitionem* veritatis ocularet. (occularet AB. Oxon. Vindob. conculcaret G. Cyprian. de Idol. Van. 7 haec eodem modo expressit his verbis: „caecos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularent.) 22 (134) Omnis sciunt poetae, etiam vulgus indoctum *in usum* maledicti frequentat. (in usum DEGA abcdef. Gorziens; in usu ABF. Erfurt. Vindob. Oxon.) 22 (136) Operatio eorum est hominis eversio; sic malitia spiritalis a primordio auspicata est *in* hominis *exitium.* 23 (141) Porro si et magi phantasmata edunt et iam defunctorum infamant animas, si pueros *in eloquium* oraculi elidunt; i. e. elidunt ut ipsi oraculum accipiant. (elidunt ABDEFGf. Vindob. Erfurt. Bongars. edunt λ. eliciunt abcde) 33 (179) Itaque ut meo plus ego illi operor *in salutem*, siquidem non solum ab eo postulo eam qui potest praestare, i. e. ut salus ei contingat. 39 (209) *In* cuius *perniciem* aliquando convenimus? 40 (209). At e contrario illis nomen factionis accommodandum est qui *in odium* bonorum et proborum conspirant. 41 (219) et sequitur ut omnes saeculi plagae nobis, si forte, *in admonitionem*, vobis *in castigationem* adeo obveniant. 47 (242) Et si non onus iam voluminis temperarem, excurrerem, *in hanc quoque*

---

[1] *Kühner* II. p. 412. 4.

[2] *Kühner* II. § 432 pg. 408. —

probationem (in hac quoque probatione. λ.). 48 (254) Dubitabitur, credo, de dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo quod non fuerat non minus quam de morte vacationis et inanitatis sibi posuit animatum spiritu omnium animarum animatore, signatum et ipsum humanae resurrectionis exemplum *in testimonium* vobis. 48 (249) Age iam, si qui philosophus adfirmet, ut ait Laberius de sententia Pythagorae, hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere, et *in eam opinionem* omnia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne consensum movebit et fidem infiget etiam ab animalibus abstinendi? [1]

Pro Genitivo obiectivo interdum usurpata est *in* praepositio: 2 (11) Atquin invenimus inquisitionem quoque *in nos* prohibitam. 23 (149) Atquin omnis haec nostra *in illos* dominatio et potestas de nominatione Christi valet et de commemoratione eorum quae sibi a deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. 33 (178) Sed quid ego amplius de religione atque pietate Christiana *in imperatorem*? 46 (236) Ceterum si de pudicitia provocemus, lego partem sententiae Atticae *in Socratem*: Corruptorem adolescentium pronuntiatum.

Interdum pro Dativo „in" praepositio cum Accusativo coniuncta [2] scribitur 46 (236) licet Plato adfirmet factitatorem universitatis neque inveniri facilem et inventum enarrari *in omnes* difficilem.

Invidus in aliquem pro „alicui" (Kühner II. p. 233 A. 3). Malus Juppiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, *invidus in artificem*.

Reperitur *in* praepositio *addita ad ablativum substantivi, quod tempus indicat:* 19 (106) Cyri enim et Darii regno fuit Zacharias, *quo in tempore* Thales, physicorum princeps, sciscitanti Croeso nihil certum de divinitate respondit (cf. de hoc usu: *Kritz* ad Sallustii Catil. 5. 48).

---

[1] cf. de hoc usu ad Nat. II. 8: Suadet utique de recondendis praesidiis *in futuram famem* de copia priore, i. e. ad arcendam famem. —

[2] ad Natt. I. 1.. exprobrant enim, quod erant, *in semet ipsos*.

„In" cum Ablativo pro solo Ablativo non raro in Apologetico redit [1]. Hac cum proprietate coniungi possunt exempla, ubi *a* vel *per* praepositiones exspectes, praesertim post verba passiva. 4 (23) Respondebimus ad singula quae in occulto admittere dicimur, quae illos palam admittentes invenimus, *in quibus* scelesti, *in quibus* vani, *in quibus* damnandi, *in quibus* inridendi deputamur. 6 (37) Ipsum adhuc quod videmini fidelissime tueri a patribus traditum, *in quo* principaliter reos transgressionis Christianos destinastis. 21 (122) Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta *in dispositione* formaverit, eundem et fatum vocari et deum et animum Iovis et necessitatem omnium rerum. 37 (193) Sed absit ut aut igni humano vindicetur divina secta aut doleat pati *in quo* probatur.

PERMUTATIO CASUUM. *Accusativus pro ablativo casu aut ablativus pro accusativo positus* non raro reperitur: [2] 12 (70) In metalla damnamur: inde censentur dei vestri. *In insulis* relegamur: solet et in insula aliqui deus vester aut nasci aut mori. („*in insulis* relegamur" DFGabcde. Oxon. „*in insulis* religamur ABE. Vindob. Erfurt. „*in insulas* relegamur λf.). 19 (106) Superior invenitur annis circiter trecentis quam ille antiquissimus penes vos Danaus *in Argo* transvenisset (varia lectio: Argos). 21 (120) non de sororis incesto nec de stupro filiae aut coniugis alienae deum patrem passus est, squamatum aut cornutum aut plumatum amatorem aut *in auro* conversum Danaidis. („amatorem *in auro*" ABD(E)FGλabe. Vindob. (Erfurt.) Oxon. (Ambros.) „amatorem aut *in auro*" cd. „amatorem aut *in aurum*"

---

[1] *Rönsch.* It. u. Vulg. pg. 396. sq.

[2] Huius permutationis ex posterioris aetatis scriptoribus exempla dederunt: *Sittl.* lok. Versch. p. 129; *Dederich:* Dictys p. 515; *Mommsen*: Jordanes p. 176; *Muncker*: Hygin. fab. 51. 92; *Rose*, Cassius p. 421; *Rönsch*, It. u. Vulg. p. 406 sq.; *Ziegler*, Italafragmente p. 17.; *Hagen*, Sprachliche Erörterungen zur Vulgata p. 14—17; *Kaulen*, Handbuch zur Vulg. p. 198, 206 sq. 232 sq.; *Koffmane*, Gesch. des Kirchenlat. I. 123; cf. porro: *Oudendorp* ad Caes. B. C. I. 25; *Hand.* Tursell III. p. 345 sqq.; *Hildebr.* ad Apul. de Dogm. Plat. II. 23. p. 251 sq.

F. Fulv. Ursinus. „amatorem *in aurum*" Haverc.) 18 (104) Ita *in Graecum stylum* exaperto monumenta reliquit. 19 (112) Peregrinandum est *in historias et litteras* orbis. (Agob. habet: peregrinandum est et *ad historias*; Ampl.: peregrinandum est etiam *in historiam.*) 40 (209, 210) At e contrario illis nomen factionis accommodandum est qui in odium bonorum et proborum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant, praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse *in causam.* („*in causam*" ABD. „*in causa*" FGλc. Vindob. „*causam*" Eabdef. Erfurt. Oxon. Pameliani aliquot). [1]

Neque *usus „in" praepositionis, inservientis adverbio circumscribendo*, praetermittendus 9 (46) Haec quo magis refutaverim, a vobis fieri ostendam partim *in aperto*, partim *in occulto*, per quod forsitan et de nobis credidistis. 9 (47) Sed et nunc *in occulto* perseveratur hoc sacrum facinus. — *In continenti* = *uno obtutu, simul, statim, ilico,* συνεχῶς. 23 (148): Eadem vero opera nostra ab eisdem deis vestris non tantum hoc detegentibus quod neque ipsi dei sint neque ulli alii, etiam illud *in continenti* cognoscitis, qui sit vero deus. — *In praesenti* 27 (167) Sed quidam dementiam existimant, quod, cum possimus et sacrificare *in praesenti* et inlaesi abire manente apud animum proposito, obstinationem saluti praeferamus. [2]

Verbum *erubescere* cum *in* et *de* praepp. coniunctum obviam habemus c. 21: ut *erubescat in* filii nomine aut *de* patris semine.

---

[1] cf. etiam ad Nat. I. 11: sed quid ego defendam, professus interim confessionem temporalem omnium *in vobis* ex pari transferendorum.

[2] cf. *Kellner*, Sprachl. Eig. Tert. — Exemplum commemorandum videtur: ad Nat II. 14: plurimas *in unum* . . . bestias conficiunt i. e. ita ut una pugna sit, Belgice: "in eens." —

SUB. [1]

„Sub" praepositio fere semper cum ablativo casu coniuncta reperitur; interdum verbo passivo additur pro „a" praepositione et nonnumquam ad Ablativum instrumenti aut causae significandum adhibetur. 13 (74) Sic Capitolium, sic olitorium forum petitur; *sub* eadem voce praeconis, *sub* eadem hasta, *sub* eadem adnotatione quaestoris divinitas addicta conducitur. 27 (167) Igitur provocati ad sacrificandum obstruimus gradum pro fide conscientiae nostrae, qua certi sumus ad quos ista perveniant officia *sub* imaginum prostitutione et humanorum omnium consecratione. 39 (207) Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque refrigerio isto iuvamus, non qua penes vos parasiti adfectant ad gloriam famulandae libertatis *sub* auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes deum maior est contemplatio mediocrium. 45 (231) Enimvero nos qui *sub* deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus merito, soli innocentiae occurrimus sqq. — 48 (256) Quae ratio universitatem ex diversitate composuit, ut omnia ex aemulis substantiis *sub unitate* („*tecum*" scripsit Oehlerus iniuria, ut mihi videtur. Ea enim verba bonum huius loci sensum turbant.) constarent ex vacuo et solido sqq: —

Pro „cum" praepositione posita est „sub" praepositio his locis: 8 (46) Timent plecti, si proclament, qui defendi merebuntur, qui etiam ultro perire malint quam *sub* tali conscientia vivere. 36 (191) Nullum bonum *sub* exceptione personarum administramus, quia nobis praestamus, qui non ab homine aut laudis aut praemii expensum captamus, sed a deo exactore et remuneratore indifferentis benignitatis. 50 (261) Proelium est nobis quod

---

[1] cf. de hac praepositione *Kühner* II. § 108, 1. p. 414 sq.; *Draeger I.* p. 618 sq. —

provocamur ad tribunalia, ut illic *sub* discrimine capitis pro veritate certemus. [1]

Insolita ratione „sub" praepositio cum Ablativo casu coniungitur = *ἐπὶ c. Gen.* [2] 21 (119) Cum haec illis sanctae voces praeminarentur, eadem semper omnes ingerebant fore uti *sub extimis curriculis* saeculi ex omni iam gente et populo et loco cultores sibi adlegeret deus multo fideliores in quos gratiam transferret, et pleniorem quidem ob disciplinae auctioris capacitatem. 35 (187) (cum „usque" coniuncta est praep.) Atque adeo omnes illi *sub ipsa usque* impietatis *eruptione* et sacra faciebant pro salute imperatoris et genium eius deierabant, alii foris alii intus, et utique publicorum hostium nomen Christianis dabant.

Postremum „*sub*" *praepositio significat hic illic idem quod*: *coram.* [3] 9 (51) Nescio quid et *sub* Catilina degustatum est. (*Catilina tale degustatum* λ *f.* Haverc.) 23 (143) Edatur hic aliqui ibidem *sub* tribunalibus vestris quem daemone agi constet (*aliqui ibidem sub* ABG. Vindob. Bongars. Oxon. Pithoei liber; *aliquis ibidem sub* EF. Erfurt.; *ibidem sub* λ. *aliquis sub* Dabcdef. Haverc.) 23 (151) Nolent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne a vobis quandoque a Christianis fugentur, si illis *sub* Christiano volente vobis veritatem probare mentiri liceret.

Cum Accusativo coniuncta „sub" praepositio multo rarius reperitur et ita tantum ut locum significet quo aliquid perveniat vel feratur.

---

[1] cf. etiam ad Nat. I, 15: nullae magis leges tam impune, tam secure *sub* omnium conscientia unius aetatis tabellis eluduntur.

Insolenter scriptum est ad Nat. II, 5: „omnia haec super nos .... *sub legis instar* constituta"; nam solet dici aut *legis instar* aut (minus recte) „*ad legis instar*"!

[2] cf. *Rönsch* It. u. Vulg. p. 397.

[3] *Sittl.* lok. Versch. p. 135. *Dirksen*: Manuale p. 195 a § 13; *Rönsch* I. u. V. p. 397.

SUPER. [1]

„Super" praepositio cum Acc. significat aliquem praeter alios aliqua re excellere, quo sensu apud Tert. saepius quam apud alios scriptores „super" adhiberi solet. 30 (173) Sciunt quis illis dederit imperium, sciunt qua homines quis et animam, sentiunt eum esse deum solum in cuius solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes et *super* omnes deos. Quidni? cum *super* omnes homines, qui utique vivunt et mortuis antistant. [2]

A Tertulliano promiscue cum ablativo vel accusativo *super* praepositio coniungitur, quod satis longe ab usu communi recedit. „*Super*" eadem ratione adhibetur atque *de* praepositio, ut indicet actionem quandam referri ad aliquem hominem vel aliquam rem. Quamquam haec *super* praepositionis significatio (= *de c. Abl.*) in bona latinitate non ita raro invenitur, [3] apud Tertullianum tamen id quoque singulare habet *super*, quod non solum ablativo sed etiam accusativo coniungitur, ut ex his exemplis apparebit: [4] 19 (107) Habetis, quod sciam, et vos Sibyllam, quatenus appellatio ista verae vatis dei veri passim *super ceteros* qui vaticinari videbantur usurpata est. 21 (128) Deliquium utique putaverunt qui id quoque *super Christo* praedicatum non scierunt; et tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis. 21 (130) Ea omnia *super Christo* Pilatus, et ipse iam pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nuntiavit. Sed et Caesares credidissent *super Christo,* si aut Caesares non essent necessarii saeculo, aut si et Christiani potuissent

---

[1] *Kühner* p. 416 § 109; *Draeger* I. p. 619 sq. *Neue*: Formenlehre II. p. 787 sq.

[2] cf. etiam ad Nat. II. 6. extr.: „quod enim *super* hominem, credas deo proximum.

[3] cf. Kühner II p. 416 c.; *Leipold* „über die Sprache des Juristen Aemilius Papinianus p. 36; *Dr. Kalb* „Roms Juristen nach iher Sprache dargestellt." p. 105. *Gorges* „de sermonis Gelliani proprietatibus."

[4] ad Nat. I. 10 *super* causam indicat („lacrimas eius *super* Sarpedonem excutit" i. e. lacrimas propter mortem Sarpedonis obortas.)

esse Caesares. (Erl. pro „*super* Christo" habet „*de* Christo". 35 (189) Cui autem opus est perscrutari *super* Caesaris *salute*, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur et sustinetur? 41 (218) Aequalis est interim *super omne hominum genus* et indulgens et increpans.

VICE = *more, ad instar* [1] tribus tantum locis invenimus: 27 (168) Itaque cum *vice* rebellantium ergastulorum sive carcerum vel metallorum vel hoc genus poenalis servitutis erumpunt adversus nos in quorum potestate sunt. (Erl. praebet „dum *more* bellantium ergastulorum"). 34 (180) Dicam plane imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut dominum *dei vice* dicam. 48 (256) Cum ergo finis et limes, medius qui interhiat, adfuerit, ut etiam ipsius mundi species transferatur aeque temporalis, quae illi dispositioni aeternitatis *aulaei vice* oppansa est. (*aulaei vice* BDabcdef. Haverc.; *aula ei vice* Vindob.; *aulae vice* AEF. Erfurt.; aula G.)

MODO ET EXEMPLO [2] 47 (245) qui *figuli modo* extrinsecus torqueat molem hanc, intra mundum Platonici, qui *gubernatoris exemplo* intra id maneat quod regat.

HABITU 35 (182) Civitatem *tabernae habitu* abolefacere.

TENUS 3 praepositio, quae paucis tantum locis apud bonae aetatis scriptores reperitur, insolita ratione adhibita est 40 (213) Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma, coenantur (? conantur Cdd.) *oculis tenus*, ceterum contacta cinerescunt.

PRAE [3] in „*prae manu esse*", quod in lingua archaïca reperitur, obviam habemus 28 (169) quos ultro sui causa placare deberet, ne *prae manu esset* iure libertatis dicere sqq.

---

[1] *Leipold*: über die Spr. des Jur. Aem. Pap. p. 20. [3]) *Leipold* p. 20 A. 1.
[2] *Kühner* ausführl. Gramm. p. 377 (2); *Neue* II. p. 785; *Draeger* I. p. 602 sq.
[3] *Sittl.* lok. Versch. p. 124; *Kalb,* Roms Juristen p. 128.

DE PRONOMINIBUS.

Unicuique hanc operis partem inspicienti facile in oculos incurret Tertullianum in Apologetico non tot peculiaria habere quot alii posterioris aetatis scriptores ex quibus *Rönschius* It. u. Vulg. p. 419—425 magnum numerum exemplorum affert pronominum demonstrativorum (scil. is, iste, ille, ipse), quae sensim paulatimque vim demonstrativam amittere idemque fere hic illic valere atque articulus noster definitus incipiunt; cuius usus in Apologetico exempla nulla inveni. Quae mihi in hac parte syntaxis Septimianae memoranda videbantur, haec sunt: *Pronominum demonstrativorum significatio nonnumquam mutata invenitur, ita ut „iste" nonnullis locis idem valeat quod „hic"*. [1] 2 (17) 21 (115) Sed quoniam edidimus antiquissimis Iudaeorum instrumentis sectam *istam* esse suffultam quam aliquanto novellam sqq.; (*„sectam nostram esse"* praebet Erl.) 45 (229) Tanta est prudentia hominis ad demonstrandum bonum quanta auctoritas ad exigendum; tam *illa* falli facilis quam *ista* contemni. (pro *„illa"* legitur *„ita"* F. Vindob.) Haud erat difficile plures id genus proprietates proferre, sed malo hoc praetermittere.

De *Genetivo pronominis personalis*, ibi posito ubi in bona latinitate pronomen possessivum usurpatur, supra iam locuti sumus.

Pronomen demonstrativum „ille" insolita ratione scriptum invenitur pro pronomine reflexivo 30 (173) Nos enim pro

---

[1] cf. van der Vliet: „Studia Eccl. p. 71 sq: *Iste* et *hic* in eadem verborum comprehensione pronomini *ille* opposita leguntur adv. Herm. c. 25 „quam autem transierit de statu terrae illius, id est materiae, ista terra vel eo palam est quod haec apud Genesin testimonium boni accepit — illa autem apud Hermogenem in originem et causam malorum deputatur." Ceterum solitam oppositionem inter *hic* et *ille* Tertulliano quoque optime notam esse ostendit Praescr. haer. 25 „nam cum dicit: *haec*, de eis dicit de quibus in praesenti scribebat; de occultis autem, ut de absentibus, apud conscientiam non *„haec"*, sed *„illa"* dixisset.

salute imperatorum deum invocamus aeternum, deum verum, quem et ipsi imperatores propitium sibi praeter ceteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium.

Idem, eandem vim habens quam „ipse," legitur: 9 (47) Tiberius, qui *eosdem* sacerdotes in *eisdem* arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit (cf. *Kalb* „Roms Juristen nach ihrer Sprache dargestellt." p. 140).

Pronomen Reciprocum. [1] Quoniam in latinitate aeneae, quae dicitur, aetatis *alteruter* idem valet quod *uterque*, obviam habemus pro *„uterque utrumque"* (Thielmann, Archiv. VII. 3. p. 360) *uterque alterutrum"* (Thielmann, Archiv. VII. 3. p. 361) 1 (6) Ita *utrumque ex alterutro* redarguimus, et ignorare illos, dum oderunt, et iniuste odisse, dum ignorant.

Alterutrum idem significat quod *„alter alterum*; *uter* enim pronomen quoque indefinitum erat et paene idem quod: *alter*; cf. Cic. Verr. II. 3. 35 „si *uter* volet (in edicto). Vocabulum „alterutrum" ex Africa ortum esse constat; apud Florum enim primum invenitur pro „alius alium, alter alterum" (P. Annii Flori: Virgilius orator ân poeta" p. 106. 18 manu alter utrum tenentes.)" 9 (51) De sanguinis pabulo et eiusmodi tragicis ferculis legite necubi relatum sit (est apud Herodotum, opinor), defusum brachiis sanguinem *ex alterutro* degustatum nationes quasdam foederi comparasse. (*sanguinem et alterutro* Fuld.) 39 (202) et (vide) ut pro *alterutro* mori sint parati; ipsi enim

---

[1] cf. *Ph. Thielmann* „Der Ersatz des Reciprocums im Lateinischen" in „Archiv für lateinische Lexicographie und Grammatik", VII. 3 p. 343 sq. *Draeger* pauca tantum praebet I. 70. 609 sq; I. p. 106; melius hanc rem tractavit *Nägelsbach* Stil. p. 281 sqq.; multa inveniuntur ap. *Hand.* Turs. 397 sqq. et. 453 sqq. De significatione reciproci apud Plautum et Terentium scripsit *Dembitzer* (cf. die „Anzeige im Archiv. III. 296.); de reciproco in latinitate ecclesiastica cf. *Koffmane*: Gesch. des Kirchenlateins I. p. 138 sq. *Kaulen* Handb. zur Vulg. p. 142 sq.; *Ott* in Fleckeis. Jahrbb. 1889 p. 265 sqq. et 1888 p. 272 sq.; Reciprocum per parataxin substantivorum cf. *Landgraf* in Archiv. V. 161 sqq., et *Hauschild*: Aufsatz über Parataxen bei Tertullian, in den Ber. des freien deutschen Hochstiftes 1890 p. 279 sqq.

ad occidendum *alterutrum* paratiores erunt. (cf. de Fuga in Persecut. 1 „*alterutra* diligentia," h. e. *mutua*, de Pudic. 2. „in *alterutra* oppositione." Apul. de Dogm. Plat. III p. 269. Buemann. ad Lactant. de Ira Dei XIII,. 14. p. 1062).—

Invicem in latinitate Ecclesiastica obviam est idem significans quod „*inter se*." [1] „Invicem" est forma antiquior et postea cum pronomine reflexivo, co consilio ut casus exprimerentur, coniunctum est. In Apologetico unum tantum exemplum invenimus, ubi duae eae formae adhibitae sunt 39 (202) Vide, inquiunt, ut *invicem se* diligant; ipsi enim *invicem* oderunt. [2] —Pro: „*a se invicem*," „*ad se invicem*," al. in sermone vulgari et apud scriptores quoque Ecclesiae „*ab invicem*," „*ad invicem*" etc. leguntur.

De Promine indefinito: „*aliqui*" = *alius quilibet*. 23 (146): Simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua adsistit, nihil suspicari licebit. Magia aut *aliqua* eiusmodi fallacia fieri dicitis? non dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis. (de hoc pronominis „*aliquis*" usu fuse egerunt Intt. ad. Verg. Aen. II. 48; Ruhnken ad Vell. Paterc. I. 17. 7; *Wolf et Orell.* ad. Cic. Tusc. III. 14, 29. Plura dabit *Hildebrand* ad Apul. Metam. VI. 29 et ad Arnob. V. 29.

Insolita ratione legitur „*aliqui ille*" 11 (64) Vani erunt homines, nisi certi sint, a primordio et pluvias de caelo ruisse et sidera radiasse et lumina floruisse et tonitrua mugisse et ipsum Iovem quae in manu eius inponitis fulmina timuisse, item omnem frugem ante Liberum et Cererem et Minervam, immo ante *illum aliquem* principem hominem de terra exuberasse sqq. —

Pronomen „*aliqui*" *per emphasin additum nominibus propriis invenitur* 11 (67) quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis? *aliquem* de sapientia Socratem, de iustitia Aristiden

[1] *Ph. Thielmann* „der Ersatz des Recipr. im Lat. p. 362—368—.

[2] *alter ad alterum* cf. Tert. Nat. I. 16 (319): atque exinde *alter ad alterum*, ἤλαυνε, dicebat, εἰς τὴν ματέρα. cf. Herm. past. v. Pal. vis. 3. 2. 6. p. 35. 8.—

sqq; 12 (71) O impiae voces, o sacrilega convicia! infrendite, inspumate! idem estis qui Senecam *aliquem* pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis. („*Senecam aliquem*" habent omnes libri tam typis quam manu exarati, praeter unum Cod. Pithoei, in quo, teste Haverk., extat: „*Senecam quam pluribus.*" 15 (83) Ipsum quod imago dei vestri ignominiosum caput et famosum vestit, quod corpus inpurum et ad istam artem effeminatione productum Minervam *aliquam* vel Herculem repraesentat, nonne violatur maiestas et divinitas constupratur laudantibus vobis? („*aliquem vel Herculem*"· Goth. Ampl.). 19 (108) Si *quem* audistis interim Moysen, Argivo Inacho pariter aetate est. 19 (110) Multis instrumentis cum digitorum supputariis gesticulis adsidendum est, reseranda antiquissimarum etiam gentium archiva, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Phoenicum, advocandi municipes eorum per quos notitia subministrata est, *aliqui Manethon* Aegyptius et Berosus Chaldaeus sqq. („*aliqui*" λabcdef.; „*alioquin*" ABDEFG. Vindob. Erfurt. Bongars. Gorziens.). 50 (263) *Aliqua* Carthaginis conditrix rogo secundum matrimonium dedit.

Pronomen „quisque", cum positivo coniunctum, [1] in Apologetico habemus: 11 (66) Illuc enim abstrudi solent *impii quique* in parentes et incesti in sorores sqq. 11 (67) Si enim vos talibus puniendis praesidetis, si commercium, colloquium, convictum malorum et turpium *probi quique* respuitis, horum autem pares deus ille maiestatis suae consortio adscivit, quid ergo damnatis quorum collegas adoratis? — 14 (77) Volo et ritus vestros recensere, non dico quales sitis in sacrificando, cum *enecta et tabidosa et scabiosa quaeque* („*et saniosa quaeque*" ed. Rhen. In Fuld. desideratur „*scabiosa*") mactatis, cum de opimis et integris *supervacua quaeque* truncatis. 20 (113) Quod fames et lues et *locales quaeque* clades et frequentiae

---

[1] cf. *Sittl.* lok. Versch. p. 131; *Kühner* II. p. 475 Aq; apud *Tacitum* hic usus invenitur in Ann. XII. 43: „invalidus quisque". cf. *Wölfflin* „Comparation" p. 81; *Paucker* Ztschr. f. öst. G. 1881. p. 483.

plerumque mortium vastant (locales quoque clades Ecl.). 39 (200) Praesident *probati quique* seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res dei constat. 39 (207) Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem *inopis quosque* refrigerio isto iuvamus, („*inopes quosque*" Put. Bong. Goth. Ampl. Oxon. Lugdd. (?) et edd. Rhen. Gangn. Barr. (Fuld.). Herald. Rig. Haverk. „*inopes quoque*" F.c.d.) —

Pronomen „*quisque*" cum *comparativo* coniunctum [1] est 47 (242) Antiquior omnibus veritas, nisi fallor, et hoc mihi proficit antiquitas praestructa divinae litteraturae, quo facile credatur thesaurum eam fuisse *posteriori cuique* sapientiae. (voc. „*posteriori*" omissum est in ed. Haverk.) 50 (267) Nec quicquam tamen proficit *exquisitior quaeque* crudelitas vestra.

ADIECTIVA PRONOMINALIA.

Tanti, *quanti* pro: *tot*, *quot* [2]) satis frequentia sunt in Apologetico. 1 (6) Ex his fiunt Christiani, utique de comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant, et sunt *tanti quanti* et denotamur. 1 (8) Sed non ideo, inquit, bonum, quia multos convertit: *quanti* enim ad malum performantur? *quanti* transfugae in perversum? 40 (210) Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim „Christianos ad leonem" adclamatur. *Tantos* ad unum? (In Goth. super „*tantos*" ab antiqua manu superscriptum legitur „*dandos*".) 40 (210)

---

[1] Pronomen „quisque" cum compar. coniunctum Hispani primi scripserunt, sicut videri potest ex Lege Malacitana § 57 *prior quisque*; cf. Sittl. Lok. Versch. p. 131.

[2] *Koffmane* Gesch. des Kirchenlat: II, p. 138; *Sittl.* lok. Versch. p. 119, qui hanc mutatam significationem ex Graeca lingua ortam esse contendit; *Wölfflin*, Rh. Mus, 1882, p. 122; *Kalb*: Roms Juristen p. 79; *Leipold:* über die Spr. des Jur. Aem: Papin: pg. 32; *Archiv.* III. pg. 30 et 33.

Oro vos, ante Tiberium, id est ante Christi adventum, *quantae* clades orbem et urbes ceciderunt?

Nullus pro „*nemo*" positum 8 (43) Veni, demerge ferrum in infantem *nullius* inimicum, *nullius* reum, omnium filium.

Nullus nominibus propriis ad emphasin negationis augendam additum 5 (32) quas (sc. leges) Traianus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos, quas *nullus* Hadrianus, quamquam omnium curiositatum explorator, *nullus* Vespasianus, quamquam Iudaeorum debellator, *nullus* Pius, *nullus* Verus impressit.

Nemo pro „*nullus*" et „*nullus*" pro „*non*" 11 (66) Illuc enim abstrudi solent impii quique in parentes et incesti in sorores et maritarum adulteri et virginum raptores et puerorum contaminatores et qui saeviunt et qui occidunt et qui furantur et qui decipiunt et quicumque similes sunt alicuius dei vestri, quem *neminem* integrum a crimine aut vitio probare poteritis, nisi hominem negaveritis.

Totus pro „*omnis.*" [1] scriptum est 46 (236) Deum quilibet opifex Christianus et invenit et ostendit et exinde *totum* quod in deum quaeritur re quoque adsignat. 49 (260) Quasi non *totum* quod in nos potestis nostrum sit arbitrium.

Omnimodus, quod vocabulum legi potest etiam App. Met. 5 p. 169. 35 „voculae *omnimodae*" et App. mag. p. 306. 14 „maculationes *omnimodae*" scriptum est 50 (266) O gloriam licitam, quia humanam, cui nec praesumptio perdita nec persuasio desperata reputatur in contemptu mortis et atrocitatis *omnimodae*, cui tantum pro patria, pro imperio, pro amicitia pati permissum est quantum pro deo non licet! (*omni modo* 1 ab.).

Unicuique notum est in bona latinitate pro: „talis": *eiusmodi* vel *huiusmodi* posse usurpari; [2] qui usus apud sequioris

---

[1] Vide „*Koffmane*" Gesch. des Kirchenlat. II, p. 138; *Leipold*, über die Spr. des Jur. Aem. Papin. p. 32. cf, Archiv III. 470. Scaev. 10. 2. 39 pr. *totis bonis* (contra: Pap. 28. 6. 41. 8. *bona omnia.*) Apul. Metam. p. 111, 20 Eyssenh.; 124, 18; 135, 21; Min. Fel. 21, 12; cf. Rhein. Mus. 37, 107; Archiv. VII 480; *Rönsch*, Collect. philolog. 72, 126. 160.

[2] cf. *Sittl.* die lok. Versch. der lat. Sprache p. 131; *Kalb.* Roms

aetatis scriptores magis magisque late adhibitus invenitur; omnes fere loci Apologetici, quibus hoc vocabulum repperi infra enumerantur; 1 (6) Cum ergo proptera oderunt homines, quia ignorant quale sit quod oderunt, cur non liceat *eiusmodi* illud esse, quod non debeant odisse? 5 (28) Ut de origine aliquid retractemus *eiusmodi* legum sqq. (cf. Eusebii H. E. II. 2: Ἵνα δὲ καὶ ἐκ τῆς γενέσεως διαλεχθῶμεν τῶν τοιούτων νόμων, sqq.) 5 (32) sic ut non palam ab *eiusmodi* hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit sqq. 10 (60) Saturnum itaque, si quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus aut Thallus neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos neque ullus commentator *eiusmodi* antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt, sqq. (*eiuscemodi* d.; *huiusmodi* c.) 11 (66) Volo igitur merita recensere, an *eiusmodi* sint, ut illos in caelum extulerint et non potius in imum tartarum demerserint, sqq. 16 (87) Hanc Cornelius Tacitus suspicionem *eiusmodi* dei inseruit. („*eiusmodi dei inseruit.*" Oehlerus; „*eiusmodi* (*huiusmodi* λ.) *inseruit*". ABDEFGλabcdef Ambros. Vindob. Oxon. Erfurt.; „*Iudaismo inseruit*" Fr. Iunius.) 16 (95) Sed nova iam dei nostri in ista proxime civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum *eiusmodi* inscriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONOKOITHΣ. 9 (51) De sanguinis pabulo et *eiusmodi* tragicis ferculis legite necubi relatum sit sqq. (*eiusmodi* tragicis fabulis. Fuld.; *huiusmodi* erogatis ferculis Erl.) 12 (124) Recipite interim hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur et qui penes vos *eiusmodi* fabulas aemulas ad destructionem veritatis *istiusmodi* praeministraverint. („*eiusmodi*" om. f. „*huiusmodi*" G.; „*istiusmodi* praeministraverunt" Haverc.; „*istius aemulas* (quod vocabulum antea est omissum.) praeministraverunt f.) 23 (146) Magia aut aliqua *eiusmodi* fallacia fieri dicitis? 24 (154) Nemo se ab invito coli

---

Juristen pg. 7. 8. 144. (Antiquiores iuris consulti et Vitruvius (*Praun*, Syntax des Vitruv pg. 84) „*eiusmodi*" tantum scripserunt.

volet, ne homo quidem; atque adeo et Aegyptiis permissa est tam vanae superstitionis potestas, avibus et bestiis consecrandis, et capite damnandis qui aliquem *huiusmodi* deum occiderit. 27 (167) Nam licet subiecta sit nobis tota vis daemonum et *eiusmodi* spirituum sqq. 34 (181) Si non de mendacio erubescit adulatio *eiusmodi* hominem deum appellans, timeat saltim de infausto. 36 (190) Adeo pietas et religio et fides imperatoribus debita non in *huiusmodi* officiis consistit quibus et hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi sqq. 39 (202) Sed *eiusmodi* vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. 47 (247) Ab his adulteria *huiusmodi* salutaris disciplinae subornata, ab his quaedam etiam fabulae inmissae quae de similitudine fidem infirmarent veritatis vel eam sibi potius evincerent.

Vocabulis *eiusmodi* et *huiusmodi Tertullianus fere utitur substantivorum instar et struit cum praepositionibus.* (*eius modi*, *huiusmodi* = *res* vel *homines eiusm.*, *huiusm.*) 15 (85) De contemptu utique censentur tam eorum qui *eiusmodi* factitant quam eorum quibus factitant. 49 (260) sed *in eiusmodi* enim, si utique, inrisui iudicandum est, non gladiis et ignibus et crucibus et bestiis. Cf. porro ad Natt. I. 5 (283) et tamen *eiusmodi* neque congregant neque participant nobiscum; ad Natt. II. 1. (334) quoniam maior *in huiusmodi* penes vos auctoritas litterarum quam rerum est. Adversus Valentinianos VII. (pg. 389 O. ed. mai.) Sed ut sit expostulo, nec aliud magis *in huiusmodi* denoto quam quod post omnia inveniuntur qui ante omnia fuisse dicuntur, et quidem non sua.

Complura *huiusmodi* et *eiusmodi* cum praepositionibus coniunctorum exempla affert Oehlerus „de Baptismo c. 12. pg. 631" („Audivi, domino teste, *eiusmodi* (*in eiusmodi* A), ne quis me tam perditum existimet, ut ultro excogitem libidine stili quae aliis scrupulum incutiant.") et quidem haec: Ad Scapul. c. 4 „mandatum est animadverti *in huiusmodi.*" De Spectac. c, 16 „aliave opera *in eiusmodi* fungar." Ibid. c. 21 „fidelis autem *in eiusmodi* videre debet." De Pudic. c. 20 „qua vero

die visus fuerit *in eiusmodi* color vivus" cett. De Patient. c. 9 „Ceterum impatientia *in huiusmodi* et spei nostrae male ominatur et" cett. De Exhort. Castit. c. 1 „Quamquam *in huiusmodi* cum fide sua conloqui debet unusquisque." De Orat. c. 12: *huiusmodi* enim non religioni, sed superstitioni deputantur." De Ieiun. c. 7 „caelum *pro eiusmodi* militat." De Testim. Animae c. 6 „Vanus es, si huic linguae soli aut Graecae — — reputabis *eiusmodi.*" De Idolol. c. 14 „ius est communionis *in eiusmodi* cum extraneis." Adv. Marcion V. 15 „si quando corpus *in huiusmodi* praenominatur." De Praescript. Haeret. c. 5 „cum maxime diverti *ab eiusmodi* obiurget." Minus recte Oehlerus huc etiam affert „de Spectac. c. 28 „Saginentur *eiusmodi* dulcibus convivae sui."

Huc pertinet memorabilis quoque usus *Genetivi qualitatis nullo addito substantivo*: de cultu feminarum II. 2. (p. 716) *Perfectae, id est Christianae pudicitiae*, appetitionem sui non tantum non appetendam, sed etiam exsecrandam vobis *sciatis* = vos, *mulieres perfectae, id est Christianae pudicitiae*, — *sciatis.*

Neque minus hoc loco commemorandus est usus *Genetivi qualitatis per unum tantum substantivum expressi*: 19 (106) *gloriae homines* si quid invenerant, ut proprium facerent, adulteraverunt. = *homines gloriosi.* (cf. 47 (243) Dum ad nostra conantur, et homines gloriae, ut diximus, et eloquentiae solius libidinosi si quid in sanctis scripturis offenderunt digestis sqq.; ad Natt. II. 2: accedente libidine gloriae.)

Pronomen relativum neutrius generis, quamquam refertur ad substantivum masculini generis 42 (222) Non in publico Liberalibus discumbo, *quod* bestiariis supremam coenantibus mos est.

DE INTERROGATIONIBUS.

Supra iam tractatus est usus coniunctionum interrogativarum a bona latinitate alienus; nunc agamus *de interrogationibus, quae sine particulis interrogativis positae sunt*; qui usus sae-

pissime in archaica latinitate et apud sequioris aetatis scriptores obtinet, [1] apud optimae tamen aetatis scriptores raro reperitur. [2] 2 (18) In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare? 4 (24) Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda aut resipuisse in reprobanda? 4 (24) Non enim et ipsius Lycurgi leges a Lacedaemoniis emendatae tantum auctori suo dolori incusserunt, ut in secessu inedia de semetipso iudicarit? 12 (72) Possumus enim videri laedere eos quos certi sumus omnino non esse? 23 (142) Non ergo dignius praesumetur ipsos esse qui se deos faciant, cum eadem edant quae faciant deos credi, quam pares angelis et daemonibus deos esse? 23 (140) Magia aut aliqua eiusmodi fallacia fieri dicitis? 25 (161) Vellet Juno Punicam urbem posthabita Samo dilectam ab Aeneadarum utique gente deleri? 25 (163) Age iam, rebus religio profecerit? 32 (178) Nescitis genios daemonas dici et inde diminutiva voce daemonia? 36 (189) Non possumus et Romani non esse et hostes, esse cum hostes reperiantur qui Romani habebantur? 38 (196) Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones sectam istam deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de inlicitis factionibus timeri solet? 40 (210) Si Tiberis ascendit in moenia — sqq. Tantos ad unum? *Duae interrogationes nonnumquam uno membro conflantur*, quod Graecissantis est: [3] 19 (112) Graecorum etiam censuales conferendi, ut *quae quando sint gesta*, ut concatenationes temporum aperiantur, per quae luceant annalium numeri; h. e. *ut aperiantur quaeque quando sint gesta.* 22 (138) Igitur momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est, *quid ubi geratur* tam facile sciunt quam adnuntiant. 48 (251) Multis etiam iocis ex otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, *quis in quam bestiam* reformari videretur.

---

[1] *Kellner* Sprachl. Eig. Tert.

[2] *Kühner* III p. 999 § 229a. *Draeger* I. p. 308 sqq.

[3] *Kellner* Sprachl. Eigenth. Tert.; cf. Hildebr. ad Arnob. I. 48: „quis deus aut quo tempore cui fuerit auxiliatus," ad quem locum plura exempla ex eodem scriptore sumpta proponuntur.

DE NEGATIONE.

Nec pro „*ne . . . quidem*" ad posteriorem latinitatem referendum est:[1] 1 (4) Nihil de causa sua deprecatur, quia *nec* de condicione miratur. 3 (21) Sed et cum perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis (nam *nec* nominis certa est notitia penes vos) de suavitate compositum est. 8 (44) Cupio respondeas, si tanti aeternitas, aut si non, ideo *nec* credenda („ideo *ne* credenda" ed. Gelen). 10 (58) Sequitur ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia („qua" van der Vliet. Stud. Eccl. pg. 35) *nec* pro nobis ipsis, semel deos non colendo. 11 (66) Atquin ut illos homines fuisse non possitis negare, etiam istae notae accedunt quae *nec* deos postea factos credi permittunt. 13 (72) Primo, qui cum alii alios colitis, utique quos non colitis, offenditis, praelatio alterius sine alterius contumelia non potest procedere, quia *nec* electio sine reprobatione. 15 (86) Christiani enim templa *nec* interdiu norunt. 16 (88) Et utique si id colebatur quod aliqua effigie repraesentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia *nec* verebatur extraneos arbitros quamquam vana cultura. („*Quia verebatur extraneos vana cultura*" c. „*Quia verebatur extraneos arbitros vana cultura*" d.) 21 (129) Nam *nec* ille se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur, sqq. 24 (151) Si enim non sunt dei pro certo, *nec* religio pro certo est; si religio non est, quia *nec* dei pro certo, *nec* nos pro certo rei sumus laesae religionis. 33 (179) Non enim deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia *nec* ipse se deum volet dici. 37 (192) Ipsis Bacchanalium furiis *nec* mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturae, de asylo quodam mortis, iam alios, iam *nec* totos avellant, dissecent, distrahant (Fuld. habet: „*Ne* mortuis *quidem* parcunt Christianis, quin illos de reliquiis sepulturae iam alios iam

[1] *Kühner* II p. 660. 8; *Koffmane* Gesch. des Kirchenlat. II. p. 136; *Kalb* Roms Juristen p. 123.

nec totos avellant, dissipent, distrahant). 46 (238) Christianus *nec* in pauperem superbit. (Post verba „Christianus nec" Fuld. inserit „contumeliosus.") 46 (238) Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Prienenses tyrannidem adfectant, Christianus vero *nec* aedilitatem. 46 (239) Christianus *nec* inimicum suum laedit.

Nec . . . saltim = *ne . . . quidem* [1] invenitur 48 (250). At enim Christianus si de homine hominem ipsumque de Gaio Gaium reducem repromittat, lapidibus magis (= potius), *nec saltim* < sibilis > coetibus a populo exigetur. (cf. ea, quae van der Vliet: Stud. Eccl. p. 41 de hoc loco exposuit.)

„Non" per hyphen nominibus iunctum invenitur 2 (17) Cum igitur in omnibus nos aliter disponatis quam ceteros nocentes, ad unum contendendo, ut de eo nomine excludamur (excludimur enim, si faciamus quae faciunt *non Christiani*) sqq. 24 (156 et 157) Laedimus Romanos nec Romani habemur qui *non Romanorum* deum colimus. 35 (187) Unde qui armati palatium inrumpunt, omnibus tot Sigeriis atque Partheniis audaciores? De Romanis, nisi fallor, id est de *non-Christianis*. 44 (228) Nemo illic Christianus, nisi plane tan tum Christianus, aut si et aliud, iam *non Christianus*.

DE SUBSTANTIVO.

Multa substantiva mobilia in *tor* et *trix* desinentia adiectivorum naturam induisse apud Tertullianum, hoc in usu Apuleium secutum, ex compluribus exemplis videri potest. [2] Multo maiore tamen prioribus libidine Tertullianus usus est. Non enim substantivis verbalibus contentus alia quoque substantiva

---

[1] *Rönsch* It. u. V. pg. 432. Exempla larga manu suppeditant *Spalding* ad Quinct. I. 1. 24 et imprimis *Hildebr.* ad Apul. Metam. IX. 26. p. 846.—

[2] *Sitll.* „die lok. Versch. der lat. Sprache pg. 110. —
Schmidt „Commentatio de nominum verbalium in *tor* et *trix* desinentium apud Tertullianum copia ac vi 1878. pg. 11 Sqq.

adhibuit quae adiectivorum vice fungerentur. Usus est Africae scriptoribus familiaris et a Tertulliano frequentissime atque efficacissime adhibitus maximi est momenti ad illius dictionis ponderosam gravitatem et sententiosam brevitatem.

Videamus quomodo Tertullianus adversus priorum scriptorum dicendi consuetudinem in usu verbalium voc. in *tor* et *trix* desinentium versatus sit.

1o. *Substantiva verbalia pro adiectivis usurpata.* 35 (189) Eadem officia dependunt et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Caesarum capite consultant, quas artes ut ab *angelis desertoribus* proditas et a deo interdictas ne suis quidem causis adhibent Christiani. 46 (235) Quam *inlusores et corruptores mimice philosophi* adfectant veritatem et adfectando corrumpunt, ut qui gloriam captant, Christiani et necessario appetunt et integre praestant, ut qui saluti suae curant. Cf. ad Natt. II. 1 (334) Quidni? quemcumque vult, de ipsis adversariis socios protectoresque sibimet assumit et omnem illam *expugnatorem multitudinem* prosternit (*expugnatorem* Aa; *expugnatorum* b.), de Praescriptione Haereticorum 17 (O. ed. m. II. p. 17) Tantum veritati obstrepit adulter sensus quantum et *corruptor stilus.*

Adversus Valentinianos 38 (O. II. p. 421. 13) tantum quod *desultricem et defectricem illam virtutem* non vult ab aliquo deducere Aeonum (cf. Irenaeum I, 5, 2: ἀποστᾶσάν τε καὶ ὑστερήσασαν δύναμιν.[1]

2o. Saepissime *haec substantiva verbalia*, in *tor* et *trix* desinentia, *appositionum vice aliis substantivis addita, locum sententiarum relativarum obtinent:* 9 (47) Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui eosdem sacerdotes in eisdem *arboribus templi sui*

---

[1] cf. etiam de Spectaculis III. (O. I. p. 23.) Cum deus Israëlitas admonet disciplinae vel obiurgat, utique ad omnes habet, cum Aegypto et Aethiopiae exitium comminatur, utique in omnem *gentem peccatricem* praeiudicat. Si omnis *gens peccatrix* est Aegyptus et Aethiopia Sqq. —

obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit sqq., quod epitheton h. l. non minus audacter quam insolenter ac breviloquenter adhibitum est. (*obumbratricibus* ABDE (m. sec.) F. G λ abcdef. Oxon. Erfurt. Ambros.; *obumbrati ribus* Vindob.; *obumbrantibus* alii). 21 (119) Huius igitur gratiae disciplinaeque arbiter et magister, *inluminator atque deductor* generis humani, filius dei adnunciabatur. (Quod ad hoc vocabulum „*deductor*" attinet cf. *Schmidt* „de Latinitate Tertullianea I. p. 11 haec disserentem: „Mira et a Ciceroniano usu remota eademque inter se diversa notio est apud Tertull. vocabulo „deductor", qui apud illum non is est, qui deducit aliquem (= comes), sed altero loco is, qui adducit et affert aliquid (Cor. 4 : d. omnis veritatis), altero interpretatio Graeci nominis καθηγητής i. e. doctor (d. generis humani Ap. 21)." *Male* Schmidt duplicem dat eius vocabuli significationem; *deductor* enim *omnis veritatis* pertinent etiam ad significationem: καθηγητής; quae locutio sine dubio est orta e Christi verbis de spiritu sancto, qui post eum erat venturus: „die zal u in alle waarheid leiden"; cf. de Monog. III (O. I. p. 765) spiritus superveniens ad *deducendam* disciplinam in omnem veritatem). 14 (78) Exinde quis non poeta ex auctoritate principis sui *dedecorator* invenitur deorum? 25 (159) quos sciebat Graeciam Phrygiae *debellatricem* (debellatricem DEλabcdef. Erfurt. Oxon.; debellatorem ABFG. Vindob. Ambros.) subacturos. (ubi a perfecto aliquo actu hoc Graeciae epitheton assumptum est = quae debellavit). 21 (122) Haec Cleanthes in spiritum congerit, quem *permeatorem* universitatis adfirmat. 26 (116) Postremo si Romanae religiones regna praestant, numquam retro Judaea regnasset *despectrix* communium istarum divinitatum. 36 (191) Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis praestamus, qui non ab homine aut laudis aut praemii expensum captamus, sed a deo *exactore* et *remuneratore* indifferentis benignitatis. 48 (252) Dubitabitur, credo, de dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo quod non fuerat non minus quam de morte vacationis et inanitatis sibi posuit animatum spiritu

omnium animarum *animatore*. (animator (*A β* ?); animatione a [1].

Multo profusior ac prioribus libidinosior Tertullianus noster in hoc audaci usu est, *quo alia quoque substantiva substantivis applicata adiectivorum munere ac vice funguntur* [2]. 9 (57) „Quidam multo securiores totam vim huius erroris *virgine continentia* depellunt, *senes pueri*." *Continentia virgo* h. l. idem significat quod: *continentia virginea; senex puer* de eo dicitur, qui usque ad senectutem virginitatem servavit puerilem. (*Virgine* ABEGef. Oxon. Vindob. libri Pamelii omnes; *virginea* F(λ)abc; *virgini* D; *virginis* Erfurt.) [3] 39 (O. I. 264.4) O

---

[1] cf. porro de Cor. 9 (O. I. p. 437) ut ab ipso deo inspirata credantur, priore *prospectore et instructore et oblectatore*, si forte, hominis sui sqq. (propiore prospectione et instructione et oblectatione BCD.) de Anima 42 (O. II. p. 623) Quodsi hominis est pati mortem *dissolutricem* corporis et *peremptricem* sensus. (= quae dissolvit etc.) de An. 43 (O. II. p. 625). Porro somnum ratio praeit, tam aptum, tam utilem, tam necessarium, ut absque illo nulla anima sufficiat, *recreatorem* corporum, *redintegratorem* virium, *probatorem* valetudinum, *pacatorem* operum. de Cor. 4 (O. I. pg. 424) Traditio tibi praetendetur *auctrix*, consuetudo *confirmatrix*, et fides *observatrix*. de Baptismo 3 (O. I. p. 622.) Quid quod exinde dispositio mundi *modulatricibus* quodammodo *aquis* deo consistit. De Idololatria 23 (O. I. p. 106) ne illae *litterae negatrices* vicariae oris nostri in die iudicii adversus nos proferantur signatae signis. Adv. Marcionem I. 29 (O. II. p. 83.) Non erit immanior *duritia* Pharaonis nascentium *enecatrix*. De Patientia 4 (O. I. p. 593. 13) Et tamen nos non de hominibus modo servitute subnixis vel quolibet alio iure *debitoribus* obsequii etc.

cf. *Naegelsbach*. Lat. Stilistik.

Heerwagen ad Liv. XXI, 40, 11. —

[2] cf. *Schmidt* „Commentatio de latinitate Tert. I. p. 12 et 13.

[3] de An. 19 (O. II. p. 587. 12). Plus est quod de prospectu lacrimabilis vitae quidam *augurem incommodorum vocem* illam flebilem interpretantur (= quae auguratur incommoda); de Testim. Animae 5 (O. I. p. 409. 13.) Recogita in praesagiis *vatem*, in ominibus *augurem* in eventibus *prospicem* (= qui prospicit); de Spectaculis 5 (O. I, p. 25. 10) *Lydos ex Asia transvenas* in Etruria consedisse Timaeus refert; de Virginibus velandis 9 (O. I. p. 896. 13) *virgo vidua;* ibid. 10 (O. I. p. 897. 8) *viri* autem tot *virgines;* de ieiunio adv. Psychicos 6 (O. I. p. 859. 1) Ipsa natura enuntiabit quales nos ante pabulum et potum in *virgine* adhuc *saliva* exhibere consuerit rebus dumtaxat sensu agendis (i. e. cum saliva nostra adhuc a potu et

sapientiae Atticae, o Romanae gravitatis exemplum: *lenones philosophus et censor!* (*lenones* f. Haverc.; *Leno est* AφBDFGλ abcde. Vindob; *lenon est* AβE. Erfurt.).

Usus substantivi cum altero substantivo in Genetivo casu coniuncti pro substantivo et adiectivo plura exempla Apologeticum nobis offert. [1] *Iniquitas odii* = iniquum odium [2]. 1(5) Hanc itaque primam causam apud vos collocamus *iniquitatis odii* erga nomen Christianorum (*et odii* F. Vindob. *odium* abcd.). *Caecitas odii* = caecum odium. 3(20) Alii quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, ex ipso

---

cibo intacta ieiuni sumus); de Pallio 1 (O. I. p. 916, 4) Sic et in proximo *soror civitas* vestiebat, et sicubi alibi in Africa Tyros. (soror Carthaginis Utica). cf. Plaut. Poen. I. 38: soror laeva opp. dextra manus. De oratione 2 (O. I. p. 556. 13) Ne *mater* quidem *ecclesia* praeteritur; ad Mart: 1 (O. I. pg. 3. 2.) (alimenta), quae vobis et *domina mater ecclesia* subministrat; adv. Val. 5 (O. II. p. 387. 17) *virginis senectae* et Christianae eloquentiae dignitas (i. e. caelebs); adv. Marc. I. 29 (O. II. p. 81. 29) Non tinguitur apud illum *caro*, nisi *virgo*, nisi vidua, nisi caelebs; de Carne Christi 17 (O. II. p. 454. 1) *Virgo* erat adhuc *terra* (cf. Firm. Matern. De Errore Prof. Relig. c. 26. „De *virginis terrae* limo homo factus est," et infra paulo: „ex *virginis terrae* limo factus Adam."); de ieiun. 8 (O. I. p. 862. 19) post egregium titulum veteris et *univirae viduitatis* ieiuniorum quoque testimonio augetur, (*univira viduitas*, condicionem viduae significans, quae unum tantum virum habuit); adv. Marc. III. 9 (O. II. p. 134) veritatem scilicet eius rei quam tribus *testibus sensibus* obiecit; de An. II. (O. II. p. 559. 7) quando et pseudoprophetarum meminerimus et multo prius *apostatarum spirituum;* Scorp: 5 (O. I. p. 508) *artifices manus* = artificiosae; de Pall. 4 (O. I. p 934. 1) ille apud rupicem et silvicolam et *monstrum* (monstrorum C a b c) *eruditorem* scrupea schola eruditus (= monstruosum doctorem); ibid. 4 (O. I. p. 944. 6) superque omnes apices et titulos *sacerdos suggestus* (= sacerdotalis suggestus) (sacerdotumque suggestus A. m. sec. sacer suggestus a. b. c.)

[1] cf *Kellner* Sprachl. Eig. Tert.; *Sittl.* die lok. Versch. p. 104 sq; *Kaulen* Handbuch zur Vulgata p. 216 sq.; *Hagen* Sprachliche Erörterungen zur Vulgata p. 19.

[2] Pro hoc usu in bona latinitate adhibetur hic illic „ἓν διὰ δυοῖν." E. g. Cic. pro Coelio § 9 „patris diligentia disciplinaque" pro „diligens disciplina."

denotant quod laudant; *caecitate odii* in suffragium inpingunt. 4(22) Atque adeo quasi praefatus haec ad suggillandam *odii* erga nos publici *iniquitatem*, iam de causa innocentiae consistam sqq. *Necessitas obsequii* = necessarium obsequium. 4(23) Sed quoniam, cum ad omnia occurrit veritas nostra, postremo legum obstruitur auctoritas adversus eam, ut aut nihil dicatur retractandum esse post leges aut ingratis *necessitas obsequii* praeferatur veritati, de legibus prius concurram vobiscum ut cum tutoribus legum. *Silentii fides* 7(40) Ab ipsis enim reis non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis *silentii fides* debeatur [1]. *Ingenium aemulationis, arbitrium suspicionis.* 7(42) Exinde in traduces linguarum et aurium serpit, et ita modici seminis vitium cetera rumoris obscurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit, quod saepe fit aut *ingenio aemulationis* aut *arbitrio suspicionis* aut non nova sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate. *Justitiae innocentia* 18(100) Viros enim *iustitiae innocentia* dignos deum nosse et ostendere a primordio in saeculum emisit spiritu divino inundatos sqq. (*iustitia, innocentia* a.; *iustitia ac innocentia* b.; *iustitia et innocentia* cdef.) *Vis cataclysmi* 19(106) et mox ultricem iniquitatis illius aevi *vim cataclysmi* de praeterito exorsus est. *Frequentiae mortium* = frequentes mortes 20(113) quod regnis regna compulsant, quod fames et lues et locales quaeque clades et *frequentiae* plerumque *mortium* vastant cett. (*frequentiae plerumque mortium* ABEFλde. Ambros. Erfurt. Oxon. Pameliani omnes; *frequentium plerumque montium* (*motium* D.) Da; *frequentiae plerumque montium* Vindob.; *effervent ium plerumque montium* b; *frequentiae plerumque mortuae* c; *frequentiae plerumque montide* G; *frequentiae pleraque montium* f. Haverc.,

---

[1] Fortasse Tertulliano in mente fuit Horatius 3. 2. 25 „est et *fideli* tuta *silentio* merces." Ita cum Ap. 25 (164) „et illis *imperium sine fine* decernunt" conferendum est illud Vergilianum I. 279 „his ego nec metas rerum nec tempora pono; *imperium sine fine* dedi." Cf. de pluribus poetarum imitationibus *van der Vliet „Mnemosyne"* 1892.

ex coniectura Fulvii Ursini.) *Sollemnitates dierum* = sollemnes dies 21(116) vel quia praeter aetatem neque de victus exceptionibus neque de *sollemnitatibus dierum* neque de ipso signaculo corporis neque de consortio nominis cum Judaeis agimus, cett. *Universitas mundi* = universus mundus 21(122) Iam ediximus deum *universitatem* hanc *mundi* verbo et ratione et virtute molitum. *Custodiae diligentia* = custodia diligens 21(129) Tunc Judaei detractum et sepulchro conditum magna etiam militari manu *custodiae diligentia* circumsederunt cett. *Obscuritas contagionis* = obscura contagio 22(137) Eadem igitur *obscuritate contagionis* adspiratio daemonum et angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus sqq. *Simplicitas veritatis* = simplex veritas 23(146) *Simplicitas veritatis* in medio est, virtus illi sua adsistit, nihil suspicari licebit. *Ingenia Graecorum atque Tuscorum* = ingeniosi Graeci atque Tusci 25(163) Nondum enim tunc *ingenia Graecorum atque Tuscorum* fingendis simulacris urbem inundaverant. *Vis numerorum et copiarum.* 37 (193) Si enim et hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis *vis numerorum et copiarum?* *Divortii invidia* = divortium invisum. 37 (194) Potuimus et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes solius *divortii invidia* adversus vos dimicasse. *Ingenia philosophorum.* 47 (246) Nec mirum, si vetus instrumentum *ingenia philosophorum* interverterunt. *Iniquitas saevitiae* = iniqua saevitia 49(260) de qua *iniquitate saevitiae* non modo caecum hoc vulgus exsultat et insultat, sed et quidam vestrum, quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur.

Substantiva verbalia saepius nostro scriptori usitata sunt, ubi ceteris *usus qui dicitur gerundivi* est [1], 2 (10) Quodcumque dicimur, cum alii dicuntur, et proprio ore et mercenaria advocatione utuntur ad innocentiae suae *commendationem*, 8 (46) praeterea candelabra et lucernae et canes aliqui et offulae,

---

[1] *Schmidt* „de latinitate Tertullianea I. p. 19.

quae illos *ad eversionem luminum* extendant. 9 (54) et utique non deesset vobis *in auditione custodiarum et damnatione* sanguis humanus. 16 (97) Quae omnia conversi iam *ad demonstrationem religionis nostrae* repurgabimus. 21 (116) vel quia praeter aetatem neque *de victus exceptionibus* neque de solemnitatibus dierum — cum Judaeis agimus cett. 21 (124) qui penes vos eiusmodi fabulas aemulas *ad destructionem veritatis* istiusmodi praeministraverint. 21 (133) Sed qui iam expolitos et ipsa urbanitate deceptos *in* agnitionem veritatis ocularet. 23 (149) Atquin omnis haec nostra in illos dominatio et potestas de nominatione Christi valet et *de commemoratione eorum* quae sibi a deo per arbitrum Christum imminentia exspectant (*et de comminatione* a. *et commemoratione* G. Pro „*eorum*" F habet „*ipsorum.*") 39 (200) Coimus *ad litterarum divinarum commemorationem*, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Ibidem: Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam *praeceptorum* nihilominus *inculcationibus* densamus, (*in compulsationibus densamus* λ Haverc.) 39 (203) Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. [1]

Substantiva abstracta, quibus usus est Tertullianus pro concretis. Tempore iam Ciceronis vocabula abstracta nonnumquam non actionem, sed rem aliquam actione verbi effectam atque (ut hoc grammaticorum vocabulo utar) concretam designant. Quantum poterimus de iis tantum vocabulis hoc capite mentio fiet quae pro concretis usurpata apud bonos scriptores non inveniantur. Quam magnam in hoc usu vim habuerit lingua Hebraica quamque late pateat haec proprietas in scriptorum praesertim posteriorum operibus, ostendunt innumerabilia

[1] Cf. ad Nat. I 10 (304) Immo iam per deos deierandi periculum evanuit, potiore habita religione per Caesarem deierandi, quod et ipsum *ad offuscationem* pertinet *deorum vestrorum*. Adv. Marc. IV. 36 (O. II. p. 257. 25.) Ab illo deo descendisse Iesum ad *deiectionem creatoris*, ad *destructionem legis et prophetarum?* (*deiectionem* d., Fulv. Urs.; *detectionem* BC abc.)

exempla, quae collegit *Petschenig* „Index zu Victor von Vita p. 145 et *Corssen* „Kritische Nachträge" p. 276. [1] *Maior aetas* = maiores natu. 9 (48) *Maior aetas* apud Gallos Mercurio prosecatur. 9 (50) Ferro enim mori *aetas* quoque *maior* optaverit. *Custodia* = ii, qui in custodia sunt 9 (54) *et utique* non deesset vobis in auditone *custodiarum;* 44 (227) Vestros enim iam contestamur actus, qui cotidie iudicandis *custodiis* praesidetis, qui sententiis elogia dispungitis. [2]

In compluribus substantivis in — *itas* exeuntibus vis abstracta declinavit in concretam. [3] *Curiositas*=res, quae curiositate digna est 5 (32) quas nullus Hadrianus, quamquam omnium *curiositatum* explorator — impressit. *Divinitas* saepius in Apologetico in vim concretam prioribus incognitam abiit, ut idem sit quod „*deus*". 10 (59) Ante Saturnum deus penes vos nemo est, ab illo census totius vel potioris et notioris *divinitatis*; 11 (65) Vacat ex hac parte causa allegandae humanitatis in *divinitatem*; 26 (166) Numquam retro Iudaea regnasset despectrix communium istarum *divinitatum*. *Indignitas*=res indigna 14 (67). Sed ut omittam huius *indignitatis* retractatum, probi et integri et boni fuerint (In Agob. et Lugd. II „*dignitatis*" pro „indignitatis" extat.). *Humanitas*= homines. 11 (65) Vacat ex hac parte causa allegandae *humanitatis* in divinitatem. *Liberalitas*=donativum 29 (172). Facit ad causam, si et propitium, cum illis aliquid *liberalitatis* aut privilegii confert. *Eloquium* (=eloquentia) usurpatum pro

---

[1] Cf. porro de hoc usu: *Kühner* II. p. 57 A. 5; *Draeger* Hist. Synt. p. 17 sqq.; *Sittl:* die lok. Verschiedenheiten der lat. Sprache p. 107; *Koffmane:* Geschichte des Kirchenlateins II. p. 143, 144, 145. *Schmidt:* de latinitate Tertullianea, pars I. —

[2] *Custodia* pro iis, qui in custodia sunt, legitur ap. *Senecam* quoque ep. 5, 6; 77, 16; *Suet* Tib. 61; Cal. 29; Nero 31; Dom. 14; *Plin.* ep. 10, 30, 1; Dig. 43, 3, 12; 48. 1, 12; 48. 19, 28.

[3] *Mortalitas* = mortales, homines ad Natt. II. 6 (351) Sed enim si ad mythicum spectes, melius iam in physico *mortalitas* errat eis divinitatem adscribendo. —

„sermo", „dictum" 18 (103) Hebraei retro qui nunc Judaei. Igitur et litterae Hebraeae et *eloquium;* 23 (141) Porro si et magi phantasmata edunt et iam defunctorum infamant animas, si pueros in *eloquium* oraculi elidunt cett. 48 (249) si qui philosophus adfirmet, hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere, et in eam opinionem omnia argumenta *eloquii* virtute distorserit cett. [1] (cf. de toto hoc loco v. d. Vliet Stud. Eccl. pg. 40 sq.)

In nominum in — *ura* exeuntium usu insolentius versatus est Tertullianus, nonnullis attribuens vim concretam contra naturam terminationis actionem quandam significantis. Sic vocabulum *scriptura* apud eum nihil aliud significat nisi *scriptum* 20 (113) Plus iam offerimus pro ista dilatione: maiestatem *scripturarum,* si non vetustate divinas probamus. si dubitatur antiquitas. *Paratura novitiola*=novum testamentum 47 (246) Ex horum semine etiam nostram hanc *novitiolam paraturam* viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt. [2]

Ingenium pro re ingeniose excogitata [3] 7 (42) ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit, quod saepe fit aut *ingenio* aemulationis cett. 22 (139) In oraculis autem quo *ingenio* (*quod ingenio* Lugd II vitiose) ambiguitates temperent in eventus sciunt Croesi, sciunt Pyrrhi.

---

[1] Ad Nat. I. 4 (279) Cum in mores, ritus, cultus victusque vestros palam ac publice omnem *eloquii* amaritudinem elatrent.

Ad Nat. II. 4 (345) Quid probat tanta praesumptione asseverationis otium affectatae morositatis *eloquii* artificio adornatum?

[2] Cf. de hisce vocabulis in-*ura* exeuntibus ad Natt. II. 12 (genitura = saeculum) Decima, inquit, *genitura* hominum ex quo cataclysmos prioribus accidit, regnavit Saturnus.

[3] Cf. ad Natt. I. 7 (285) = Ap. 7 (42). Vide porro I. 8 (292) Psammetichus quidem putavit inisse *ingenio* exploratus sic de primogenitis. I. 16 (317) Ventum est ad horam lucernarum et caninum ministerium et *ingenia* tenebrarum. II. 12 (379) Hoc *ingenio* diu securus tandem filio regnoque privatus est. II. 14 (393) qui pauca experientiae *ingenia* commentus dicebatur mortuos ad vitam recurasse.

22 (140) Quid ergo de ceteris *ingeniis* vel etiam viribus fallaciae spiritalis edisseram? 49 (258) Hae sunt quae in nobis solis praesumptiones vocantur, in philosophis et poëtis summae scientiae et insignia *ingenia*. (V. quos locos ex Tertulliani scriptis excitant Rigalt. et Semmler. in Glossariis suis editionibus additis. Gierig. ad Plin. Paneg. 49. p. 147. Intt. ad Petron. 119. p. 72. ed. Burm. Salmas. ad Tertull. de Pall. I. p. 131).

Memoriae = annales libri, monumenta [1] 18 (103) inter cetera *memoriarum*, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur. 19 (107) gentes etiam plerasque et urbes insignes historiarum et canas *memoriarum*, sqq.

Militia = milites 9 (47) teste *militia* patriae nostrae (Fuld. praebet: *teste militiae patris nostri*). *Reatus*, proprie: conditio rei, de *culpa* et *crimine* accipitur 3 (21) Nunc igitur, si nominis odium est, quis nominum *reatus*? 3 (22) Plane si qui probavit malam sectam et ita malum et auctorem, is probabit et nomen malum dignum odio de *reatu* sectae et auctoris. [2] Audacius paene iusto dicitur 27 (168) „itaque cum vice rebellantium ergastulorum sive carcerum vel metallorum vel hoc genus poenalis *servitutis* erumpunt adversus nos," quocum conferas velim Horatianum illud (carmen 28.17) „pubes tibi crescit omnis, servitus crescit nova" (de multitudine servorum (= servitium) vel potius amantium). [3] *Suggestus* = apparatus, ornatus, [4] quae notio ceteris scriptoribus inusitatior est, legitur

---

[1] Ad. Natt. II. 12 (381) Plane vester deus omnino Saturnus in terris humanae qualitatis apud veteres *memorias* recensentur.

[2] Cf. ad Natt. I. 3 (277) itaque de nominis merito, si qui *reatus* est nominum.

[3] Aliam ex ICtorum dictione depromptam notionem exhibet idem vocabulum ad. Natt. II. 5. *servitutes* et officia elementorum = obligationes.

[4] Cf. ad Natt. I. 12 (313) Scilicet ille imaginum *suggestus* et totius auri cultus monilia crucum sunt; ad Natt. II. 8 (360) Cuius *suggestus* modialis figura frumentationis memoriam obsignat. —

16 (92) Omnes illi imaginum *suggestus* insignis monilia crucum sunt. *Venustates* 15 (82) dispicite Lentulorum et Hostiliorum *venustates.* [5] *Conditio* = actis creandi. 48 (255) Si ita rerum dominus destinasset, ingratis experireris *conditionis* tuae legem. Cf. exempla, quae supra de hoc vocabulo sunt allata.

---

[5] Nonnulla huius usus exempla ex aliis quoque Tertulliani libris afferre libet. Audax vocis „*infantiae*" vis concreta = *infantes* invenitur ad Nat. I. 7: tot *infantiae* (= infantes) trucidatae. *Ministerium* = minister vel ministra ad Nat. I. 18 (326) linguam suam pastam expuit, totum eradicatae confessionis *ministerium.* Ad Celsi unius auctoritatem referendus est rarus audaxque vocabuli „*excessus*" usus, qui legitur ad Nat. I 12 (311) „Sed nobis tota crux imputatur, cum antemna scilicet sua et cum illo sedilis excessu," ubi pars significatur eminens in medio crucis stipite quae pro sedili sit cruciariis. *Conceptus* dicitur pro ipso *fetu* de Pudicitia 5 (O. I. 800. 5) Sciunt etiam obstetrices, quot adulteri *conceptus* trucidentur. *Conditio* (a verbo *condere* duct.) non modo actus condendi Tertulliano est, sed etiam *res condita* = creatura = *κτίσις* de Cultu Fem. I. 8 (O. I. p. 711, 8.) quia dei *conditio* est et tus et merum et ignis qui vescitur. Sic de Corona 6 (O. I. p. 429, 2) Sed et in primo epistolae naturalem usum *conditionis* in non naturalem masculos et feminas inter se demutasse affirmans sqq. De Resurr. Carnis c. 11 quod omnes fere haereses natum et factum mundum annuentes *conditionem* deo nostro adscribunt. Adv. Marcion. V. 19 Quomodo ante omnia si non primogenitus *conditionis.* Cf. Prudent. Hamartig. 19 dominum quoque *conditioni* impositum. *Conspersio* concreto sensu = farina aqua conspersa atque coacta adv. Marc. IV. 24 (O. II. p. 222,9) et vestium praeter (= praeterea) oneribus *conspersionum* offarcinatam educit ex Aegypto. (*onera conspersionum* dicit farinae massam aquae conspargine coactam. Exod. cap. 12 (34) *Ἀνέλαβε δὲ ὁ λαὸς τὸ σταῖς αὐτῶν.*" Hesychius: „*Σταῖς, φύραμα ἀλεύρου πυροῦ.*" Glossarium Vetus: „*Φύραμα*, massa, conspersio.") Sic adv. Marc. V. 7 (O. II. p. 293,15) Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova *conspersio*, sicut estis azymi. Adv. Valentin. c. 31 in *conspersionis* alvearia absconderit, donec totum confermentetur. Versio vulgata Epistol. Pauli ad Corinth. I. 5. 7 ut sitis nova *conspersio*, sicut estis azymi. *Circumstantia* (*περίστασις*) *angelorum* dicitur pro angelis circumstantibus de Oratione 3 (O. I. p. 557 f.) Cui illa angelorum *circumstantia* non cessant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quocum conferri potest Gell. 3.7.5 „circumstantia hostium." *Munificentia* de uno Archimedis invento usurpatur d- Anima 14 (O. II. p. 576.17) Specta portentosissimam Archimedis m-

In hac operis parte nostro proposito non videtur alienum enumerare ea vocabula in-IO desinentia, quae significationem quandam a bona latinitate alienam habent, quorum nonnulla etiam id ipsum significant, quod ipso substantivo efficitur vel effectum est. Sic saepius *operatio* idem est, quod opus operatione effectum 23 (149) renuant ob malitiam praedamnatos se in eundem iudicii diem cum omnibus cultoribus et *operationibus* suis (*et operationibus* ABDEG ac. Vindob. Erfurt. Omittit F. *et operatoribus* bdef. Haverc. Pamelii aliquot libri

---

ficentiam. *Indulgentiae* = *dona* adv. Marc. IV. 29 (O. II. p. 238,7) Et non erit iam depretiator operum et *indulgentiarum* creatoris, ut quod supra distuli expunxerim. *Purulentia*, voc. praeter Tertull. tantum Hieronymo usitatum, a vi concreta, qua significat *copiam puris*, in translatum abiit plurali numero de Pallio V. (O. p. 954,6). Has *purulentias* civitatis quis eliciet sqq? *Accidentia* de re dicitur quae alteri accidit et advenit extrinsecus de Anima 11 (O. II. p. 573.18) *accidentiam* spiritus passus est. Ibid. 21 (O. II. p. 590.22) ut, si trinitas animae adscribenda esset, ex mutatione *accidentiae*, non ex institutione naturae deputaretur. *Profanitas* = veteres auctores profani de Pallio 2 (O. I. pg. 923) si tamen Ninus regnare primus, ut autumat *superiorum profanitas*. *Posteritas haeretica* = posteriores haeretici adv. Marc. V. 19 (O. II. p. 330.15) priorem vindicans regulam nostram omni *haeretica posteritate*. *Cavositas* = locus cavosus de Pudic. 20 (O. I. 840. 23) Si quae maculae et *cavositates* adnuntiatae *in parietibus* sacerdoti fuissent. *Fecunditas* = fecunda proles adv. Valent. 7 (0. II. 391.5) Habes — nescio criminum an numinum turba, certe fontem reliquae *fecunditatis*. Audacter et insolenter positum est „*pudor*" pro pudendis de Virg. Vel. 11 nisi totum *pudorem* in faciem omnium intentet. Usu poetico Propertio et Ovidio probato *timor* dicitur pro eo qui timorem incutit: Scorp. 6 principes non sunt timores boni operis, sed mali. *Sacerdotium* quum apud optimos significet sacerdotis dignitatem et officium, nostro est *sacerdotum collegium*, qui vocis concretus usus apud Ammianum demum invenitur; de Pallio 1 (O. I. 916. 4) Instar eius hodie Aesculapio iam vestro *sacerdotium* est. *Patrocinium* = patronus de Pat. 16 (O. I. 615) patientia, quae ventris operarios contumeliosis *patrociniis* subiectione libertatis gulae addicit. Scriptorum Augusteae aetatis auctoritate nititur usus voc. *coniugii* pro *coniux* de Pud. 16 (O. I. 829.1) nupti vero de mundo recogitent quomodo placeant *coniugio* (*coniugi* Latinius).

et Gorziens.) *Concussio* = terror illatus; geldafdwinging door vreesaanjaging. Cf. 7 (39) Tot hostes eius quot extranei, et quidem proprie ex aemulatione Iudaei, ex *concussione* milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. Statum et conditionem quandam rerum exprimunt: *desperatio* et *perditio* = conditio desperata et perdita 50 (262) Sed haec *desperatio* et *perditio* penes vos in causa gloriae et famae vexillum virtutis extollunt.

Ambitio significatione solius Tertulliani propria pro: „ambitus", „circuitus" invenitur 7 (41) Omnium est aestimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit, cett. [1]) (Cf. *Goelzer* lat. de St. Jérome p. 243 „ambitio: d'après *ambio* au sens d'environner, entourer = cortège").

Aemulatio = simultas, invidia, odium 2 (17) vel ne compulsus negare non ex fide negarit et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat *aemulatione* iterum Christianus? 7 (39) Tot hostes eius quot extranei, et quidem proprie ex *aemulatione* Iudaei, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. 7 (42) Ne primum illud os mendacium seminaverit, quod saepe fit aut ingenio *aemulationis* cett. 47 (247) Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus *aemulationem* istam spiritibus erroris. 50 (267 sq.) Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus; ut est *aemulatio* divinae rei et humanae, cum damnamur a vobis, a deo absolvimur. [2] *Aestimatio* = voluntas, iudicium,

---

[1]) Ad Nat. I. 7 (285) fama quantacumque *ambitione* diffusa est, ab uno aliquando ore exorta sit necesse est. De iei. 17 (O. I. p. 879.3) Illis *ambitio* corporis competit quibus et vires necessariae. De Virg. Vel. 8 (O. I. p. 894.13) quia non sit naturaliter consecutus *ambitionem* capillorum, sqq. (cf. Clem. Alex. Paedag. III. 11 „τὴν ὑπερβολὴν τῆς κόμης."
De Anima 25 (O. II. p. 596.8) de quo tota ventris *ambitio* pulsetur, cf. Oehlerum ad Idolol. 1 (O. I. p. 67.6).

[2] Ad Nat. I. 7 (285) quod saepe fit *aemulationis* ingenio; ad Nat. I. 20 (330) Solet aequalitas *aemulationis* materiam sumministrare. Cf. adv. Marc. IV. 20 (O. II. 210) Fides tua te salvam fecit, quis es, ut *aemulationem legis* interpreteris in isto facto, sqq. cf. etiam adv. Marc. V. 16

opinio 1 (6) nec tamen hoc ipso modo ad *aestimationem* alicuius latentis boni promovent animos (Agob. Lugd. II. ad *existimationem*) 24 (152) Nunc ut constaret illos deos esse, nonne conceditis de *aestimatione* communi aliquem esse subliniorem et potentiorem sqq.? 45 (228) Vobis autem humana *aestimatio* innocentiam tradidit, [1] cett. („*humana existimatio*" ed. Gelen. „*humana doctrina*" Fuld. In reliquis omnibus est „*humana aestimatio*").

Auditio = cognitio, iudicium 9 (54) et utique non deesset vobis in *auditione* custodiarum et damnatione sanguis humanus. (cf. *Goelzer* lat. de St. Jér. pg. 274). *Compensatio* = pretium 50 (267) Ubi accessit, pati exoptat, ut totam dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo *compensatione* sanguinis sui expediat? *Compulsatio* = dissidium, discordia 21 (125) Nam et nunc adventum eius expectant, nec alia magis inter nos et illos *compulsatio* est quam quod iam venisse non credunt. *Contemplatio* = respectus 39 (207) penes deum maior est *contemplatio* mediocrium. (Voc. contempl. pro „respectus", quo significatu frequens est apud ICtos, invenitur eo etiam ap. Justin. VII. 5 et VIII. 3.)

Dispositio = ordo, lex 7 (42) ex *dispositione* naturae, quae ita ordinavit, ut nihil diu lateat. 18 (100) Sed quo plenius et impressius tam ipsum quam *dispositiones* eius adiremus. 18 (101) qui saeculum certis temporum *dispositionibus* ordinavit; 19 (107) cum *dispositiones* regnorum ita omnibus respondent, quemadmodum ante millia annorum praenuntiabantur? 21 (122) Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in *dispositione* formaverit; 22 (139) *Dispositiones* etiam dei et tunc prophetis concionantibus excerpunt et nunc lectionibus resonantibus carpunt. 41 (218) Admittite prius *dispositiones* eius, et

---

Adv. Valentin. 9 (O. II. 393.11) Sed enim sub praetextu dilectionis in patrem *aemulatio* superabat in Nun, solum de patre gaudentem.

[1] Ap. 1 (6) = ad Nat. I. 1. (271). Ad Nat. I. 15 (316) nullae magis leges tam secure sub omnium conscientia unius aestimationis tabellis eluduntur.

non retorquebitis. 48 (256) mundi species, quae illi *dispositioni* aeternitatis aulaei vice oppansa est. [1] *Dispunctio* = iudicium, perfunctio, actio implendi; proprie: „dati et accepti collatio = het opmaken der balans. cf. c. 48: „tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum quod in isto aevo boni seu mali meruit." 18 (102) Suscitatis omnibus ab initio defunctis et reformatis et recensitis ad utriusque meriti *dispunctionem*. 19 (107) Quid enim potentius patrocinabatur testimonio earum, nisi *dispunctio* cotidiana saeculi totius, sqq. *Institutio* = disciplina. 17 (99) Quae (scil. anima) licet *institutionibus* pravis circumscripta, sqq. *Initiationes* = mysteria 7 (40) Et unde extraneis notitia, cum semper etiam piae *initiationes* arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt? 21 (132) Melampus Argis, Trophonius Boeotiae *initiationibus* homines obligaverunt. *Advocatio* = auxilium, a bona latinitate non alienum est, cf. 2 (10) et proprio ore et mercenaria *advocatione* utuntur ad innocentiae suae commendationem. (et proprio et mercenario ore λ.) [2] Graece : παράκλησις. Oehlerus complura huius significationis exempla ex aliis quoque libris Tertulliani collegit. cf. Indicem. *Praesumptio* significat praeiudicatam opinionem et falsam sententiam 49 (259) In vobis itaque *praesumptio* est haec ipsa quae damnat utilia. Cf. *Oehleri* Indicem s. v. *Goelzer* latin. de St. Jérome p. 277.

Intentatio (criminum) dicitur pro „abiectio" contra eum voc. sensum, qui apud Senecam exstat, qui solus eo voc. usus est, 27 (166) Satis haec adversus *intentationem* laesae divinitatis. (*intentationem* ADEFf. Bongars. Elnon. Gandav. Vindob. *intentionem* BGλabcde. Haverc.). 46 (232) Constitimus, ut opinor,

[1] cf. ad Nat. I 10 (268). De reliqua vero conversationis (quod vocabulum h. l. rationem vivendi agendique designat) humanae *dispositione* palam subiacet quanta a maioribus mutaveritis.

[2] cf. *Goelzer* lat. de St. Jer. p. 243: Advocatio est bien employé dans la période classique, mais seulement comme terme technique de jurisprudence; c'est l'aide, l'assistance qu'on prête à quelqu'un devant les tribunaux.

adversus omnium criminum *intentationem*, quae Christianorum sanguinem flagitat. (*intentationem* ADEf. Erfurt. Oxon. Pamelii libri. *intemptationum* Ambros, *intentionem* (B)FGλabcde. Vindob. *Transgressio* = peccatum [1] 6(37) in quo (nempe eo, quod a patribus traditum) principaliter reos *transgressionis* Christianos destinastis. [2]

DE ADIECTIVO.

Supra iam vidimus, in capitibus de casibus et praepositionibus, multa in hoc Tertulliani opere adiectiva constructionem habere, a melioris aetatis scriptoribus alienissimam; praeterea haec quoque proprietas mihi, Apologeticum perscrutanti, se obtulit, quae hoc loco commemoranda est. Tribus in Apologetico locis *adiectivum neutrius generis in numero plurali coniunctum invenimus cum substantivo in Genetivo casu.* [3]

Lingua Graeca hic usus explicari potest; cf. *Kellner*. Sprachl. Eigent. Tert. et *Klussmann:* Curae Tertullianeae pg. 67.)

Cetera rumoris 7(42) Exinde in traduces linguarum et aurium serpit, et ita modici seminis vitium *cetera rumoris* obs-

---

[1] ad Nat. I. 10 (299) Vel quo maxime reos nos *transgressionis* postulatis. *Goelzer* latin. de St. Jér. p. 236.

[2] Huc addam quinque vocabula ex libris ad Nationes, quae mihi annotatione satis digna videntur; 1°. *Inspectio* = conspectus, adspectus ad Nat. I. 20 (332) erroris inspectio. 2°. *Positio* = status, natura ad Nat. I. 7 (292) satis enim est nobis sola veritate a vestra *positione* discerni. 3°. *Praescriptio* = lex, praeceptum, ad Nat. I. 12 (312) nec diutius super isto argumentandum est, quando naturali *praescriptione* omne omnino genus censum ad originem refert. 4°. *Successio*, ad Nat. II. 2 (338) Iovem et Orcum et ceteram *successionem* = ceteros, qui successerunt. 5°. *Intellectio* (terminus rhetoricus apud solum Auct. ad Her.) pro „interpretatio" vi voc. alias insolita dicitur ad Nat. II. 12 „quid sibi vult interpretatio ista", cett.

[3] *Kühner* II. p. 174.4.

curat sqq. *Necessaria vitae* 11(64) Denique invenisse dicuntur *necessaria ista vitae*, non instituisse. *Cetera memoriarum* 18(103) Ptolemaeorum eruditissimus — inter *cetera memoriarum* (memoriae = annales) — libros a Judaeis quoque postulavit. —

Adiectiva et Participia pro substantivis usurpata [1]

Notum est in lingua Latina optimae aetatis hunc usum valde exiguum certisque terminis circumscriptum fuisse et hac quidem ratione adhibitum 1° in adiectivis, quae amicitiam, consanguinitatem etc. significant, velut: cognatus, necessarius, amicus, inimicus, gentilis, aequalis, sodalis, all. 2° in adiectivis — imprimis in numero plurali — quae genus quoddam hominum certa quadam qualitate praeditum designant, velut: docti, probi, pii, divites ... 3° adiectiva et participia neutrius generis in Nom. et Acc. Plur. pro substantivis usurpari possunt. — Eae leges, quibus scriptores melioris aetatis tenebantur, sensim paulatimque evanescebant et adiectiva participiaque pro substantivis usurpata magis magisque in sequioris aetatis latinitatem irrepserunt; cuius usus haec exempla, ex Apologetico sumpta, sequantur:

I. Adiectiva masculini et feminini generis. *a) in plurali numero.* 8(46) Quid nunc, etsi ista omnia *ignaris* praeparantur, certe postea cognoscunt et sustinent et ignoscunt? — 10(61) vel ex consuetudine humana, qua *ignoti* vel ex inopinato adparentes de caelo supervenisse dicuntur. 11(66) Si enim vos *talibus* puniendis praesidetis, * * * quid ergo damnatis quorum collegas adoratis? 11(68) Quanto dignius istos deos ille adsumendos expectasset, praescius utique *potiorum*?

---

[1] *Draeger*: Hist. Synt. I. § 16 sqq.; *Kühner* II. § 61. p. 168 sq.; *Nägelsbach* Lat. Stilistik pg. 85 sq.; *M. Riemann*: Etudes sur la langue et la gramm. de Tite Live § 5. pg. 61 sq.; *Goelzer* lat. de St. Jérome pg. 109—120.

Properavit, opinor, et caelum semel clusit, et nunc utique *melioribus* apud inferos mussitantibus erubescit. 18(102) ut qui iudicaturus sit *profanos* in ignem aeque perpetem et iugem. 25(159) peregrinos enim deos non putem patrium solum *transfretanis* dedisse. (*sepultique sunt transfretanis diis non dedisse* Lugd. II. vitiose.; *sepultique sunt transfretaneis dedisse* Fuld.) 39(200) nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud *certos* de dei conspectu. 46(233) vel cur et illi ut *pares* nostri non urgentur. 50(262) Licet nunc *sarmenticios* et *semaxios* appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. (*sarmentarios* λ. *semaxios* ABEdef. Erfurt. Oxon. Vindob. Ambros. Pamelii libri. *semiaxios* λ. *semarios* FG. *semassios* D. *semissios* ab. *semissarios* c.)

b) *in singulari numero.* 5(34) quae *patricium* pro magno titulo ambitionis senatu submovebant. 16(89) Sed et qui crucis nos religiosos putat, *consecraneus* erit noster; cf. Capitol. Gordian. 14; 24(153) Nemo se ab *invito* coli volet, ne homo quidem. 25(159) Viderit Cybele, si urbem Romanam ut memoriam Troiani generis adamavit, *vernaculi* sui scilicet adversus Achivorum arma protecti. 46(234) Aesculapio tamen *gallinaceum* prosecari iam in fine iubebat. (cf. ad Nat. II. 2 (p. 337) Socrates ipse deos istos quasi certus negabat, idem Aesculapio *gallinaceum* secari quasi certus iubebat.) 46(238) Christianus nec in *pauperem* superbit.

II. Participia activa pro substantivis usurpata.

a.) in plurali numero. 9 (49) Quot vultis ex his *circumstantibus* et in Christianorum sanguinem *hiantibus*, ex ipsis etiam vobis iustissimis et severissimis in nos praesidibus apud conscientias pulsem, cett? (sanguinem *inhiantibus* Fuld. prob. Davis. ad Cic. N. D. I. 30). 5 (34) parum est si senatorum et non libertinorum vel adhuc flagra *rumpentium.* 8 (45) Atquin *volentibus* initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum adire, quae praeparanda sint describere. 10 (61) vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato *adparen-*

tes de caelo supervenisse dicuntur. 11 (63) Nam neque sibi illi sumere potuissent divinitatem, quam non habebant, nec alius praestare eam non *habentibus* nisi qui proprie possidebat. 17 (99) Et haec est summa delicti *nolentium* recognoscere quem ignorare non possunt. 23 (150) Magis fides proxima est adversus semetipsos *confitentes* quam pro semetipsis negantes. 24 (152) Itaque oportere et *procurantes* et praefectos et praesides pariter suspici. 25 (157) Quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem, quam provocat illa praesumptio *dicentium* Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos sqq. (Lugd. II praebet „*licentium*" pro „*dicentium*") 28 (170) Quis enim ex *viventibus* non cuilibet mortuo potior? 30 (175) ut mirer, cum hostiae probentur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cum cuivis praecordia potius victimarum quam ipsorum *sacrificantium* examinantur. 39 (208) editur quantum *esurientes* capiunt, bibitur quantum pudicis utile est. 40 (212) Haec utique non sine iniuria *incolentium* accidere potuerunt. 42 (224) Non enim sufficimus et hominibus et deis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quam *petentibus* impertiendum. 44 (227) quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus aut corruptor aut *lavantium* praedo, quis ex illis etiam Christianus adscribitur? (*laniantium* Lugdd. II. mendose.) 45 (231) eum timentes quem timere debebit et ipse qui *timentes* iudicat, deum, non proconsulem timentes. 48 (255) Tu homo, tantum nomen, si intellegas te vel de titulo Pythiae discens, dominus omnium *morientium* et *resurgentium*, ad hoc morieris, ut pereas?

b.) *In numero singulari.* 2 (17) Unde ista perversitas, ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse quam per vim *neganti?*

III. **Participium futurum** a bonae quoque latinitatis scriptoribus *usurpatur pro* substantivo. Ex Apologetico haec exempla afferamus: 19 (107) Idonea est enim recognitio

praeteritorum ad disponendam fiduciam *futurorum.* 20 (114) Hinc igitur apud nos *futurorum* quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis, quae cotidie probantur, praedicebantur. 23 (145) Virgo Caelestis, Aesculapius, aliam diem *morituris* Socordio et Thanatio et Asclepiodoto sumministraturi (si quidem hoc loco „*morituri*" = *ii, qui in eo sunt ut moriantur.*)

IV. Participium Perf. masculini (vel feminini) generis pro substantivo adhibitum.

a.) *in plur num.* 1 (16) Nisi fallor enim, leges malos erui iubent, non abscondi; *confessos* damnari praescribunt, non absolvi. 4 (26) Sed et *iudicatos* in partes secari a creditoribus leges erant, sqq. 18 (102) suscitatis omnibus ab initio *defunctis* et reformatis et recensitis ad utriusque meriti dispunctionem. 21 (129) ne, quia praedixerat tertia die resurrecturum se a morte, discipuli furto amoliti cadaver fallerent *suspectos* (h. e. *suspicaces.* Eodem significatu hoc adiectivum legitur ap. Tert. de Cultu Fem. II. 4; ad Uxor. I. 1. Add. Caton. distich. IV, 89. Cf. Hildebr. ad Apul. tom. I, p. 801. Lugd II pro „*suspectos*" mendose habet „*susceptos.*") 23 (141) Porro si et magi phantasmata edunt et iam *defunctorum* infamant animas cett. 37 (192) Quid tamen de tam *conspiratis* umquam denotastis, de tam *animatis* ad mortem usque pro iniuria repensatum, quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret?

b.) *in sing. num.* Notum est hunc usum in optima aetate perraro inveniri; ibi enim part. perf. in num. sing. pro substantivo nonnisi in vocabulo „mortuus", quod idem significat atque „corpus mortuum", obtinet. Omnia fere alia exempla pertinent ad posterioris aetatis scriptores. (Cf. Nägelsbaeh: Lat. Stilistik p. 99 sqq.). In Apologetico hanc proprietatem duobus tantum locis invenimus; 2(17) Unde ista perversitas, ut etiam illud non recogitetis, sponte *confesso* magis credendum esse quam per vim neganti? 21(129) nihil in sepulchro repertum est praeterquam exuviae *sepulti.*

V. Adiectiva et participia neutrius generis *a.) in num. plur.* Ea vocabula apud optimae aetatis scriptores non nisi in Nominativo et Accusativo casibus plur. posita pro substantivis usurpari posse, supra iam breviter tetigimus [1]. In Gen. Dat. Abl. casibus ea adiectiva et participia ita adhibita ex tempore Titi Liv. primum hic illic, deinde apud posteriores scriptores sensim paulatimque pluribus locis obviam habemus. Cuius posterioris usus ex Ap. exempla quaedam afferre libet.

3(19) Laudant quae sciunt, vituperant quae ignorant, et id quod sciunt eo quod ignorant inrumpunt, cum sit iustius occulta de *manifestis* praeiudicare quam manifesta de *occultis* praedamnare. 9(57) Nunc de *manifestioribus* dicam. 12(71) idem estis qui Senecam aliquem *pluribus et amarioribus* de vestra superstitione perorantem reprehendistis. 19(107) Idonea est enim recognitio *praeteritorum* ad disponendam fiduciam futurorum.

b.) in num. sing. In bona latinitate adiectiva tantummodo, quae habent vim concretam, velut *dimidium*, *duplum*, *quadruplum*, *solidum* et eius posteriore tempore quae *aedificia* vel *partes aedificiorum*, *instrumenta* vel *supellectilem* designant, ita usurpata inveniuntur [2]. Tertulliani aetate hunc usum multo esse factum liberiorem appareat ex his exemplis: 1(3) Auctoritas vestra in *publico* aut timet aut erubescit inquirere; 1(6) ex his fiunt Christiani, utique de *comperto*; 2(15) Quid me torques in *perversum?* 2(15) ne qua vis lateat in *occulto;* 2(17) nec de *praeterito* reum; 5(31) sed qua et homo, facile *coeptum* repressit; 7(41) fama, nomen *incerti*; 9(46) in *aperto*, in *occulto*; 9(47) in *occulto* perseveratur. 9(48) nec ullum scelus in *perpetuum* eradicatur; 9(50) nobis vero semel homicidio interdicto etiam *conceptum* utero dissolvere non licet; 16(97) haec ex *abundanti*; 19(106) vim cataclysmi de *praeterito* exorsus est; 20(115) dum ex *futuro* praesens, dehinc ex *praesenti*

---

[1] *Nägelsbach*: Lat. Stil. pg. 81 sqq. magnum exemplorum numerum ex Ciceronis operibus collegit.

[2] cf. *Draeger* Hist. Synt. I. p. 52; *Goelzer:* lat. de St. Jér. p. 120.

praeteritum deputatur; 27(167) cum possimus et sacrificare in *praesenti*; 34(181) si non de mendacio erubescit adulatio eiusmodi hominem deum appellans, timeat saltim de *infausto;* 48(256) constarent ex *vacuo* et *solido,* ex *animali* et *inanimali*, ex *comprehensibili* et *incomprehensibili.*

DE COMPARATIONE.

Pauca tantum commemoratione digna invenimus. (De Genetivo comparationis cf. quae supra dicta sunt; ellipsis voc. „magis" infra tractabitur.)

1°. *Insolita ratione dictum est* 25(161) Nec tantum tamen honoris fatis Romani dicaverunt dedentibus sibi Carthaginem adversus destinatum votumque Junonis quantum prostitutissimae lupae Larentinae (*prostitutae* F *prostratissimae* λ. Haverc.) 13(74) dei vero, *qui magis tributarii, magis sancti,* immo qui *magis sancti, magis tributarii.*

2°. *Superlativus superlativi,* qui Africitatis est proprius [1] 19(109) *extremissimi* tamen eorum non retrosiores reprehenduntur.

3°. *Comparativus superlativi,* [2] qui Afrorum quoque scriptorum proprius est 23(150) *magis* fides *proxima* est adversus semetipsos confitentes quam pro semetipsis negantes. (*magis proxima* = *manifestior, praesentior, promptior.*) [3]

---

[1] *Sittl*: die lok. Versch. der lat. Spr. pg. 100.

[2] *Sittl*: ibid. pg. 101; *Wölfflin:* Cassius Felix p. 48 sq.; *Kalb*: Roms Juristen pg. 146. *Wölfflin*, „zur lat. Gradation" Archiv. I. 101; *Köhler*, Acta Erlang. I. 409; *Leipold*: über die Sprache des Jur. Aem. Papinianus: pg. 41.

[3] cf. ad Nat. II. 12 „Si qua ergo vel vestris divinioribus litterisve vestris superioribus, sed idcirco *magis proximis* quoniam illius aetatis, *fides adiacet*, satis" cett. De Idol. 11 „Ecce *magis proximum* praeiudicium". Min. Fel. Octav. 19 „nonne apertius, *proximius*, verius?"

4°. *potius cum verbo „malle"* [1] iunctum est 37(195) sed hostes *maluistis* vocare generis humani *potius* quam erroris humani.

5°. *Primus, ubi de duabus tantum rebus mentio fit.* Ap. 21: Duobus enim adventibus eius significatis, *primo*, qui iam expunctus est in humilitate conditionis humanae, *secundo*, qui concludendo saeculo imminet in sublimitate divinitatis exertae, *primum* non intellegendo *secundum*, quem manifestius praedicatum sperant, unum existimaverunt. c. 48: eadem aevum quoque ita destinata et distincta condicione conseruit, ut *prima* haec pars, ab exordio rerum quam incolimus, temporali aetate ad finem defluat, *sequens* vero, quam exspectamus, in infinitam aeternitatem propagetur.

DE ADVERBIO.

Adverbia insolita ratione substantivis iuncta reperiuntur 2(17) vel ne compulsus negare non ex fide negarit et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat aemulatione *iterum Christianus?* (*„inter Christianos"* habent Gorz. Lugd. I. et edd. Gangn. Barr.) 5(31) Ceterum de tot *exinde principibus* ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum! 9(56) Tunc deinde quocumque in loco, domi, peregre, trans freta comes est libido, cuius *ubique saltus* facile possunt alicubi ignaris filios pangere, [2] cett. 25(163)

---

[1] *Leipold*: üb. d. Spr. des J. Aem. Pap. pg. 41; *Sittl.* p. 100; *malle-relle* cf. *Kalb*, Juristenl. 70 et 80. *Gradenwitz*, Interpol. pg. 69 et 194. Cf. Papin. 48. 5, 12, 3 *maluit* (= προῃρεῖτο) accusatione desistere et lucrum ex dote *magis* petere; Ulp. 28, 3, 6, 7 qui mori *magis* quam damnari *maluerint*; Porph. 1, 1, 54 *potius malle* quam.

[2] ad Nat. I. 16 (320) ut non dispersio seminum et saltus *ubique* luxuriae nescientibus filios edat.

Sed quam vanum est fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare, cum post imperium sive *adhuc regnum* religio profecerit. 48(257) Ideoque nec mors iam, nec *rursus ac rursus resurrectio*, sed erimus idem qui nunc. cett. [1]

Adverbia loco adiectivorum cum verbo „esse" coniuncta [2]), inveniuntur 1 (3) et coram examinare quid *sit liquido* in causa Christianorum. 19 (108) Sic quem audistis interim Moysen, Argivo Inacho *pariter* aetate *est;* 20 (113) *coram sunt* quae docebunt: mundus et saeculum et exitus.

Adverbium **„integre"** *pro adiectivo* **„integri"** positum est 48 (257) profani vero et qui non *integre* ad deum, in poena aeque iugis ignis. [3] („*integre*" ABDEFG af. Vindob. Erfurt. Oxon. „*integri*" bcde. Pamelii aliquot libri.)

Istic = hic, in hac urbe 9 (51) Hodie *istic* Bellonae sacratos sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus et siti datus signat. („*et hic*" Fulv. Ursinus et Haverc.).

Hic = in hac re 1 (4) Quid *hic* deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? („*hinc*" (λ) abc.) 1 (7) *Hic* tantum curiositas humana torpescit („*Sic tantum*" c.).

Ibidem = ilico 2 (17) et absolutus *ibidem* post tribunal de vestra rideat aemulatione iterum Christianus. 50 (267) Inde est, quod *ibidem* sententiis vestris gratias agimus.

alias = alia de causa [4] 39 (202) Sed et quod fratres nos vocamus, non *alias* insaniunt quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est.

---

[1] cf. ad Nat. I. 12 (312) corpus struit et habitum, quem placuit, *intus* cruci ingerit. II. 5 (349) Non in ista investigatione alicuius artificis *intus* et domini servitutis sqq.

[2] cf. Intt. ad Sallust. Catil. 58. 9. Iug. 87. 4. ad verba „Romanos remoto metu *laxius licentius*-que futuros." Cf. Apul de Deo Socr. 12: „qui potest *perfectius fuisse* qui" sqq.

[3] ad Natt. I. 7 „nos hostes *publice* pro: nos hostes *publici.*

[4] V. de huius adverbii usu *Hand.* Tursell. I. p. 225, sqq., qui exempla affert: Tac. Ann. III. 73; Curt. VIII. 1.24; VIII. 14. 16; Ulpian. Dig. XXIII. 3.29; XLVII. 4. 1. 2; Paul. XXIII. 3. 37. Martian. XXIX. 7. 6. 2; Ulpian. XXVIII. 6.8; Paul. XXI. 1. 43. 7.

directo = aperte 23 (147) ita et isti quos *directo* daemonas nostis non auderent alibi pro deis agere sqq. (*directe daemones* Lugdd. Erl.).

ingratis = ἀκουσίως, invite 4 (23) ut aut nihil dicatur retractandum esse post leges aut *ingratis* necessitas obsequii praeferatur veritati; 27 (168) *Ingratis* resistimus; 48 (255) *ingratis* experieris conditionis tuae legem.

impresse = graviter, valde, perfecte 18 (100) Sed quo plenius et *impressius* tam ipsum quam dispositiones eius adiremus sqq.

templatim, vicatim (= *per vicos*) [1] inveniuntur ap. Tert. 42 (224) Cum interim plus nostra misericordia insumit *vicatim* quam vestra religio *templatim.*

Adeo Tertullianeo sermoni familiare est. [2] Videamus quomodo Tert. hac particula usurpaverit et ipsa inspiciamus exempla. 1 (7) Malunt nescire, quia iam oderunt; *adeo* quod nesciant praeiudicant id esse quod, si sciant, odisse non poterant sqq. 4 (22) *Atque adeo* quasi praefatus haec ad suggillandam odii ergo nos publici iniquitatem sqq. (*atque adeo* transitioni inservit = Belg. *dan.*) 19 (106) Solon eidem regi finem longae vitae intuendum praedicavit non aliter quam prophetae; *adeo* respici potest, tam iura vestra quam studia de lege deque divina doctrina concepisse. (*adeo: tam facile intellegi potest.*) 22 (134) *Atque adeo* dicimus esse substantias quasdam spiritales, sqq. (= Belg. *dan*), 23 (147) *Adeo* nulla est divinitas ista, quam tenetis; (*tam*

---

[1] cf. de hoc adverbio: *H. Rönsch*: Semasiologische Beiträge zum Lateinischen Wörterbuch II. pg. 86.

[2] De vi huius particulae, transitioni, ut dicunt grammatici, inservientis, ut nec causalem quandam vim prorsus excludat, vid. *Spalding* ad Quinctil. Inst. Orat. XII. 11. 16. *Hand*: Tursell. 1. p. 152. 3; *K. Sittl*: lok. Versch. p. 137 dicit: *adeo* = *ideo* kommt im Spätlatein überhaupt vor: *s. Paucker's* subrelicta p. 60, 2 B. Victor Vit. 3. 7. 12; zuerst aber wohl Minuc. Fel. 6. 2; 7. 6; 16. 5; 34. 11; 36. 8; 37. 7.

Cf. *Koffmane:* Gesch. des Kirchenlat. pg. 134.

facile intellegi potest.) 24 (153) *atque adeo* et Aegyptiis permissa est tam vanae superstitionis potestas (atque adeo = Belg. „*ja zelfs*") 25 (158) et *adeo* deos esse, ut praeter ceteros floreant qui illis officium praeter ceteros faciant (*tam verum esse, quod dii sint.*) 28 (170) *adeo* et in isto inreligiosi erga deos vestros deprehendimini (*adeo* h. l. non multum differt ab: *ideo*); 35 (187) *atque adeo* omnes illi sub ipsa usque impietatis eruptione et sacra faciebant pro salute imperatoris etc. (*atque adeo* = Belg. „*en toch*"; *atqui*) 36 (190) *adeo* pietas et religio et fides imperatoribus debita non in huiusmodi officiis consistit sqq. (= *non igitur* p. et r. et f. in h. off. cons.). 45 (229) *atque adeo*, quid plenius, dicere: non occides, an docere: ne irascaris quidem? (= Belg. *immers.*) [1] 46 (235) *adeo* neque de scientia neque de disciplina, ut putatis, aequamur (adeo non aequamur = *tam parum aequamur* = *non igitur aequamur.*) 46 (241) *Adeo* (= igitur) quid simile philosophus et Christianus etc.? 48 (258) *adeo* (= B. *diensvolgens*) manent montes semper ardentes. (*Atque adeo* ap. Tert. non significat: *vel potius.*).

Atquin = quinimmo, atque adeo. [2] 2 (11) *Atquin* invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. (*Atquin* (Aφ) BCEGdf. Ambros. Oxon. Erfurt. Florent. *Ad quin* Aβ.

---

[1] Cf. ad Nat. I. 3 (276) *adeo* (immers) si de criminum veritate constaret; ad Nat. I. 5 (282) *adeo* (= immers) testimonium redditis non esse tales Christianos. — Particula *adeo* in initio orationis epiphonemati quoque inservit, de quo usu v. *Drakenb.* ad Liv. II. 43. 10; IV. 31. 5; *Hand.* Tursell. I.* p. 152. Cf. porro: *Rönsch*: Semasiologische Beiträge zum lat. Wörterbuch; *Dombart*: Min. Fel. p. 125. ad Nat. I. 1 (271) *Adeo* (= B: dan ook) quotidie adolescentem numerum Christianorum ingemitis; ad Nat. II. 13 (390) *Adeo* (= B. dan) non fabulae istae sunt de foeditatibus summis compositae?

[2] Cf. *Hand.* Tursell. I. pg. 516; II. p. 268 sqq. Ad Natt. I. 6 (284) *Atquin* pro legibus facit inquisitio; ad Nat. I. 7 (287) *Atquin* extraneis tam ignorare quam confingere magis competit; I. 15 (316) *Atquin* hoc asperius, quod frigore et fame aut bestiis eos obiicitis aut longiore in aquis morte summergitis; ad Nat. II. 9 (365) *Atquin* Romanis magis detestandus, qui pro salute principum adversus liberos etc. deierant.

Ad quam Leidens. *Atqui* DFλ abce. Vindob. *Atque*, Haverk.) 8 (45) *Atquin* volentibus initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum adire, quae praeparanda sint describere. (*Atqui*, DFbc. *Atque* e. (Oxon.)). 41 (219) *Atquin* nos nullo modo laedimur: cett. (*Atqui*, Fabc).—

Denique *insolita ratione apud Tertullianum praecedentem sententiam quasi denuo repraesentat, ita vero ut latius eam exponat et exemplo illustret.* [1] (Belg. *immers*) Igitur idem fere „*denique*" significat quod „*velut*," „*exempli gratia*", „*ut uno exemplo fungar.*" Sed conferamus ipsa exempla. 1 (8) omne malum aut timore aut pudore natura perfudit: *denique* malefici gestiunt latere, devitant apparere 2 (18) Ideo torquemur confitentes ef punimur perseverantes et absolvimur negantes, quia nominis prolium est. *Denique* qui de tabella recitatis illum Christianum, cur non et homicidam? 9 (53) ne quo modo sanguine contaminemur vel inter viscera sepulto: *denique* inter temptamenta Christianorum botulos etiam cruore distensos admovetis. 28 (170) Citius *denique* apud vos per omnes deos quam per unum genium Caesaris peieratur. 30 (174) Recogitant quousque vires imperii sui valeant, et ita deum intellegunt; adversus quem valere non possunt, per eum valere se cognoscunt. Caelum *denique* debellet imperator. 40 (215) Ex eo

---

[1] Cf. *Sittl:* die lok. Versch. p. 137: *Denique* dient sehr oft nur dazu, ein Beispiel an zu knüpfen oder die Spezifizierung eines Gedankens ein zu leiten (vide *Hand*: Tursell. II. p. 277); der erste ist *Apuleius* (cf. *Becker*, Stud. Apuleiana. p. 32); ihm folgen *Tertullian, Cyprian, Victor von Vita, Fulgentius* und *Caelius Aurelianus.* Ausserhalb dieser Reihe stehen nur einige Juristen, *Faustinus* und am Eingange des Mittelalters *Venantius Fortunatus. Koffmane,* Gesch. des Kirchenlat. p. 135 *denique* = zum Beispiel. *Rönsch* It. u. V. pg. 345 *denique* = so, zum Beispiel. *Rönsch* : Semasiolog. Beiträge zum Lat. Wörterb. *denique* = ut uno exemplo fungar. *W. Hartel* „Lucifer von Cagliari und sein Latein" (Wölfflin's Archiv 3 Jahrg. 1 Heft.) p. 18: denique fügt einen zweiten Umstand bekräftigend hinzu. Cf. de aliis huius adverbii significationibus *Zink*: D. Mytholog. Fulgentius (Würzb. 1867) pg. 58. Vide etiam *Kalb* Roms Juristen pg. 19. 20. 21.

enim et innocentia saeculi iniquitates temperavit et deprecatores dei esse coeperunt. *Denique* cum ab imbribus aestiva hiberna suspendunt et annus in cura est, vos quidem quotidie aquilicia Jovi immolatis. 42 (224) *Denique* porrigat manum Iuppiter et accipiat. [1]

Denique *praeterea obviam habemus idem significans quod „atque adeo," „quinimmo"* 2 (17) debito poenae nocens expungendus est, non eximendus. *Denique* nemo illum gestit absolvere. 19(106) Superior invenitur annis circiter trecentis quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argo transvenisset; Troiano *denique* proelio ad mille annos ante est. 19 (107) Omnes itaque substantias omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cuiusque stili vestri, ipsas *denique* effigies litterarum et, puto adhuc minus dicimus, ipsos inquam deos vestros, ipsa templa et oracula scrinium saeculis vincit; 21 (126) cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret, caecos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos *denique* verbo redderet vitae, elementa ipsa famularet; 50(261) Sed obducimur, certe cum obtinuimus: ergo vicimus, cum occidimur. *Denique* evadimus, cum obducimur [2]).

Denique = *Belg. „juist"* 23(150) Magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes quam pro semetipsis negantes.

---

[1] Cf. Nat. I. 5 (283) nam et nomina sic sunt instituta, ut fines suos habeant inter dici et esse: quot *denique* philosophi dicuntur nec tamen legem philosophiae adimplent?

Nat. I. 10 (306) taceo de philosophis, quos .... erigit: *denique* et Socrates in contumeliam eorum quercum et canem et hircum iurat.

[2] Cf. Nat. I. 4 (279) ideoque qui possident, magis displicent, quia qui affectat, illudit, qui possidet, defendit. *Denique* Socrates ex ea parte damnatus est, qua propius temptaverat veritatem. I 20 (330) Vestra *denique* sententia est ne causam quis iudicet nisi duobus auditis, quod in nobis solis negligitis; II. 4 (343) *Denique* quam ita sit, probatio suppetit, cum etiam universos deos vestros θεοὺς communiter appelletis. II. 7 (355) non modo non horretis, sed insuper honoratis utque in necessariis artibus habetis, *denique* per hanc initiatricem litteraturae ingenuitatis studia producitis.

Haec *denique* testimonia deorum vestrorum Christianos facere consuerunt.

Denique = *Belg.* „*dan ook*" 11(64) *Denique* invenisse dicuntur necessaria ista vitae, non instituisse.

Denique = *scilicet* 16(94) *Denique* inde suspicio quod innotuerit *nos ad orientis* regionem precari [1].

Interim. [2] 19(108) „Sic quem audistis *interim* Moysen, Argivo Inacho pariter aetate est." Oehlerus explicat: „*antequam alios in testimonium advocavero;*" ego: „*ut ab hoc initium faciam.*" 19(108) ipsa *templa et* oracula et sacra unius *interim* prophetae scrinium saeculis vincit; (= *ne statim plura exempla adducam; ut de reliquis taceam.*) 21(124) Recipite *interim* hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur (*interim* = *voorloopig*). 21(131) Multum est si eos adhibeam ut credatis Christianis propter quos non creditis Christianis. *Interim* hic est ordo nostrae institutionis (= *antequam ipsos deos vestros testes veritatis Christianae excito*). Cf. de Pallio. V. (O. 954.5) „et memento istos interim [*paucos* (*v. d. Vliet*)] ex multis togatos fuisse; quales apud pallium haud facile." H. e. *qualem inter palliatos vix ullum inveneris, tales in toga multi fuerunt, quorum paucos modo, ut initium facerem (interim = voorloopig, vor der Hand, zunächst), recensui.* (van der Vliet. Stud. Eccl. pg. 100). Scorpiace V (O. I. 509.6) „Acceperat a domino suo ut a medico satis utilem disciplinam secundum legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo arbuscula temperaret,

---

[1] Ex libris ad Nationes duo libet afferre exempla, quibus „*denique* idem fere signif. quod „*ut brevis sim, ut paucis dicam.*" ad Nat. II. 1. (333) Patent oculi nec vident, hiant aures nec audiunt, cor stupet saliens, nescit animus quod agnoscit. *Denique* si tantam perversitatem una praescriptione discuti liceret sqq. II. 1 (335) Sed passiva et municipalis adoptatio est. *Denique* apud philosophos incerta, quia varia sqq.

[2] *Interdum* = *interim* obtinet Dig. IV. 8. 16. 1; Cod. VI. 17. 2; cf. *Rönsch* I. u. V. p. 345.

quam ipse medicus inportunam *interim* noverat." *Interim*: *antequam perfectionis altiorem attigerat gradum*

Plane = *opinor*, *scilicet*, *ironiam designat; nostrum: natuurlijk* [1]. Ut unusquisque videat quomodo Tertullianus hoc vocabulum usurpaverit, omnes locos, quibus scriptum invenitur, citabimus. 1(9) Christianus vero quid simile? neminem pudet, neminem paenitet, nisi *plane* retro non fuisse; 12(70) Sed *plane* non sentiunt has iniurias et contumelias fabricationis suae dei vestri, cett. 14(80) *Plane* olim, id est semper, veritas odio est. 15(83) *Plane* religiosiores estis in cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poenarum proinde saltant dei vestri argumenta et historias noxiis [*erogandis* (v. d. Vliet: Stud. Eccl. p. 36)] ministrantes, sqq. 16(93) Laudo diligentiam: noluistis incultas et nudas cruces consecrare. Alii *plane* humanius et verisimilius Solem credunt deum nostrum. 22(134) Quidni? Cum et ipsi daemonium a pueritia adhaesisse dicatur, dehortatorium *plane* a bono. 22(139) Sic et auctores interdum videri volunt eorum quae adnuntiant; et sunt *plane* malorum nonnumquam, bonorum tamen numquam. 22(140) Benefici *plane* et circa curas valetudinum. 25(161) Misera illa coniunx Iovis et soror adversus fata non valuit! *plane* „Fato stat Iuppiter ipse." 31(176) Adulati nunc sumus imperatori et mentiti vota quae diximus, ad evadendam scilicet vim. *Plane* proficit illa fallacia. (Pro „*plane proficit*" Fuld. praebet „*tamen proficit.*") 34(180) Augustus imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat; et hoc enim dei est cognomen. Dicam *plane* imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut dominum dei vice dicam. 35(186) *Plane* ceteri ordines pro auctoritate religiosi sunt ex fide; 37(196) verum etiam necessarium hostes iudicare maluistis, quia sumus *plane*, non generis humani tamen, sed potius erroris. 42(223) Thura *plane* non emimus. (*Plane* abest in ed. Herald.). 42(221) nullum fructum operum eius repudiamus;

---

[1] *Hand.* Tursell. II. p. 271 sq.

plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. *(plane h. l. = „het behoeft geen betoog dat").* 43(225) Plane confitebor, quinam, si forte, vere de sterilitate Christianorum conqueri possint. 44(228) Nemo illic Christianus, nisi *plane* tantum Christianus, aut si et aliud, iam non Christianus. (In edd. Rig. et Haverk. extat *„nisi hoc tantum,"* ex auctoritate unius Fuld.) 50(261) Ergo, inquitis, cur querimini quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis per quos patimini quod vultis? *Plane* volumus pati, verum eo more, quo *et bellum miles.*—

Porro eadem vi qua *„autem, atenim, contra"* praeditum obviam est in Apologetico [1] 9 (53) Denique inter temptamenta Christianorum botulos etiam cruore distensos admovetis, certissimi scilicet inlicitum esse penes illos per quod exorbitare eos vultis. *Porro* quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? — 23(141) *Porro* si et magi phantasmata edunt et iam defunctorum infamant animas, ...: quanto magis sqq.; 25(164) Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. *Porro* bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. [2]

---

[1] *H. Rönsch*: „Semasiologische Beiträge zum Lat. Wörterbuch"; *Dombart*: Min. Fel. p. 140 sq.; Vide *Sall.* Jug. 25. 7: „timebat iram senatus, ni paruisset legatis: *porro* animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebatur"; cf. *Iwan Müller*, Quaest. Crit. de Chalcidii in Timaeum Platonis commentario I. p. 8. Cf. *Spalding*, ad Quinctil. Inst. or. II. 3. 5.

[2] Cf. de hac particula ad Natt. I. 2 (274) *Porro* de nobis, quos atrocioribus ac pluribus criminibus deputatis, breviora ac leviora elogia conficitis; I. 3 (276) *Porro* sententiae vestrae nihil nisi Christianum confessum notant. I. 4 (280) confessus est enim se deum non esse, scilicet eum quoque sapientissimum affirmans qui deos abnuebat: *porro* apud vos eo minus sapiens, quia deos abnuens, cum ideo sapiens, quia deos abnuens. I. 8 (294) *Porro* si tam monstrosi qui tertii loci, quales habendi qui primo et secundo antecedunt? — II. 1 (335) Denique apud philosophos incerta, quia varia, apud poetas omnia indigna, quia turpia, apud populos passiva omnia, quia voluntaria. *Porro* divinitas, si veram retractes, eā definitione est, ut

RETRO = *ante, olim* 1 (6) Testimonium ignorantiae est, quae iniquitatem dum excusat, condemnat, cum omnes qui *retro* oderant, ... simul desinunt ignorare, cessant et odisse. 1 (9) Christianus vero quid simile? neminem pudet, neminem paenitet, nisi plane *retro* non fuisse. 3 (19) Alii quos *retro* ante hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, ex ipso denotant quod laudant. — 3 (20) Uxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus, filium subiectum pater *retro* patiens abdicavit, sqq. 18 (103) Hebraei *retro* qui nunc Iudaei. 21 (124) Iste igitur dei radius, ut *retro* semper praedicabatur, delapsus in virginem quandam; 21 (127) Praedixerat et ipse ita facturos; parum, si non et prophetae *retro*. 26 (166) Postremo si Romanae religiones regna praestant, numquam *retro* Iudaea regnasset; 40 (215) Eundem igitur nunc quoque scire debet iratum quem et *retro* semper, priusquam Christiani nominarentur. [1]

SEMEL = Belgice: „*Eens voor goed, eens voor altijd*" [2]

---

etc. II. 3 (341) Igitur nisi animalia, non mobilia per se. *Porro* allegans quid non appareat, ostendit quid quaesisse debuerat. II. 4 (343) *Porro* ϑεὸς ille iam hoc solo, quod non sit in promptu, vacat a comparatione eorum quae in promptu sunt et visui et sensui. II 5 (347) et iure credi deos quorum natura honoranda sit in secundis, metuenda sit in adversis, domina scilicet iuvandi et nocendi. *Porro* si ista sentiuntur in civium conversatione, non perinde rebus ipsis quibus iuvantur sive laeduntur aut gratias referunt aut querellas intendunt.

[1] Cf. *Rönsch* I. u. Vulg. pg. 343. Vide porro ad Nat. I. 1. (271) quod omnes qui vobiscum *retro* ignorabant et oderant. I. 4 (280) Scio maritum unum atque alium, anxium *retro* de uxoris suae moribus; I. 7 (290) nihil enim unquam *retro* de Christianis mysteriis audierant. II. 1 (334) qui rerum divinarum ex omnibus *retro* digestis commentatus idoneum se nobis scopum exposuit; II. 11 (370) Non contenti eos deos asseverare qui visi *retro*, auditi contrectatique sunt. Cf. Oehlerum (O. I. pg. 34. 5 et annotationem).

[2] cf. de Corona c. 13 (O. I. 452.6) omnes alienae, profanae, inlicitae, *semel* iam in sacramenti testatione eieratae. de Fug. in Persec. II. (O. I. 466.6) Habere videtur diabolus propriam iam potestatem, — — —, *semel* in stillam situlae — — — nationibus deputatis sqq. Cf. *Buenem.* ad Lactant. V, 4, p. 589; *Cort.* ad Lucan. II, 198; VI, 756; *Duker.* ad Flor. II. 12;

9 (50) Nobis vero *semel* homicidio interdicto etiam conceptum utero — — dissolvere non licet. 10 (58) sequitur ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobis ipsis, *semel* deos non colendo. 11 (63) *Semel* utique in ista constructione dispositum et instructum et ordinatum cum omni rationis gubernaculo inventum est. 11 (68) Properavit, opinor, et caelum *semel* clusit, et nunc utique melioribus apud inferos musitantibus erubescit. 23 (141) Porro si et magi — — somnia immittunt habentes *semel* invitatorum angelorum et daemonum adsistentem sibi potestatem. 41 (218) Qui enim *semel* aeternum iudicium destinavit post saeculi finem, non praecipitat discretionem.

SOLUMMODO pro *tantummodo* [1] in Ap. obviam est 12 (68) nomina *solummodo* video quorundam veterum mortuorum. 21 (125) Quem igitur *solummodo* hominem praesumpserant de humilitate, sequebatur uti magum aestimarent de potestate. *Quem igitur solum hominem modo* D a b c d e; *quem igitur hominem* G. 39 (204) In isto loco consortium solvimus in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum *solummodo* matrimonia usurpant sqq. 40 (212) Ubi vero tunc, non dicam deorum vestrorum contemptores Christiani, sed ipsi dei vestri, cum totum orbem cataclysmus abolevit, vel ut Plato putavit, campestre *solummodo?* (Fortasse hoc loco scribendum est: *campestre solum modo*) 47 (244) Inventum enim *solummodo* deum non ut invenerant disputaverunt, ut et de qualitate et de natura eius et de sede diceptent.

Burm. ad Quintil. Declam. VI. 2; *Bach.* ad Ovid. Metam. XIII, 101; *Hildebr.* ad Apul. Metam. VI, 17. p. 452; ad „De magia" c. 89. p. 613, et ad Arnob. Adv. Natt. 1.46.

[1] Male contendit *Sittl* die lok. Versch. pg. 99 vocabulum: „solummodo" pro „tantummodo" primum in Africa esse usurpatum. Cf. *Kalb*: „Roms Juristen p. 47, 89, 101." qui multa huius vocabuli exempla ex Juris C. collegit.

AD HOC *pro adverbio* frequentissime adhibitum est apud posterioris aetatis scriptores, Cf. *Bindley* „Tertulliani Apologeticus adversus Gentes pro Christianis." Oxford, 1889, pg. 145 ann. Ap. 48 (255) Tu, homo, tantum nomen, si intellegas te, vel de titulo Pythiae discens, dominus omnium morientium et resurgentium, *ad hoc* morieris ut pereas?

UTIQUE.[1] Notum est hoc adverbium in bona latinitate idem significare quod nostrum: „*in elk geval.*" Cf. Cic. ad Att. 4. 4 „quo die venies, *utique* cum his apud me sis." Paucis tantum locis hanc particulam in Ciceronis operibus, (et praesertim quidem in epistolis) obviam habemus. Ea significatione praeditum „utique" in Apologetico multis locis legitur. 1 (6) Ex his fiunt Christiani, *utique* de comperto. 1 (7) Optimum *utique* sit desinere iniuste odisse. 4 (24) et *utique* hoc ipso praeiudicatur licere quod bene fit. 5 (33) Facilius *utique* pessimi ab optimis quibusque, ut ab elementis, quam a suis sociis eradicandi iudicarentur. 6 (35) Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus *utique* prosperata? 9 (50) si quidem et de genere necis differt, *utique* crudelius in aqua spiritum extorquetis. 9 (54) et *utique* non deesset vobis in auditione custodiarum et damnatione sanguis humanus. 10 (58) Summa haec causa est et *utique* digna cognosci. 10 (61) Tamen si homo Saturnus, *utique* ex homine, et quia ab homine, non utique de caelo et terra. 11 (63) Totum enim hoc mundi corpus sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum factumve secundum Platonem, semel *utique* in ista constructione dispositum sqq. 11 (68) Quanto dignius istos deos ille adsumendos expectasset, praescius *utique* potiorum? Pro-

---

[1] *Rönsch:* Semasiolog. Beitr. zum Lat. Wörterb. II. pg. 84; *Koffmane:* Geschichte des Kirchenlateins II. pg. 35; *Rönsch* It. u. V. pg. 344.

peravit, opinor, et caelum semel clusit, et nunc *utique* melioribus apud inferos musitantibus erubescit. 13 (72) Primo, qui cum alii alios colitis, *utique* quos non colitis, offenditis. 15 (85) De contemptu *utique* censentur tam eorum qui eiusmodi factitant quam eorum quibus factitant. 16 (88) Et *utique* si id colebatur quod in sacrario suo exhiberetur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur sqq. 21 (116) quod *utique* oporteret si eidem deo manciparemur. 21 (128) Deliquium *utique* putaverunt qui id quoque super Christo praedicatum non scierunt; 23 (142) ubi est ergo praecellentia divinitatis, quam *utique* superiorem omni potestate credendum est? 29 (171) nam *utique* suas primo statuas et imagines et aedes tuerentur, quae, ut opinor, Caesarum milites excubiis salva praestant. 30 (173) Quidni? cum super omnes homines, qui *utique* vivunt et mortuis antistant. 31 (177) Cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius, *utique* et nos in aliquo loco casus invenimur. 33 (179) Suggeritur enim ei a tergo: Respice post te! Hominem te memento! Et *utique* hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, ut illi admonitio condicionis suae sit necessaria. 37 (194) Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset *utique* dominationem vestram tot qualiumcumque civium amissio sqq. 43 (226) Et tamen quodcumque dispendium est rei vestrae per hanc sectam, cum aliquo *utique* praesidio compensari potest. („*cum aliquo utique*" (Put?) Fuld. et edd. Rig. Haverk. Reliqui Codd. Mss. et Edd. delent voc. „*utique*") 48 (252) Recogita quid fueris antequam esses: *utique* nihil; meminisses enim, si quid fuisses. 48 (253) Et tamen facilius *utique* fies quod fuisti aliquando, quia aeque non difficile factus es quod numquam fuisti aliquando.

Cum negatione coniunctum „**utique**" primum apud argenteae aetatis scriptores in usu est, idem valens quod: „*neutiquam*", „*nullo modo*". (Cf. *Freund.* Lex. IV pg. 893): 6 (37) Piso et Gabinius consules *non utique* Christiani; 7 (40) Immo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis *non utique.* 10 (61)

Tamen si homo Saturnus, utique ex homine, et quia ab homine, *non utique* de caelo et terra. 46 (232) Sed dum unicuique manifestatur veritas nostra, interim incredulitas, dum de bono sectae huius obducitur, quod usui iam et de commercio innotuit, *non utique* divinum negotium existimat, sed magis philosophiae genus.

UTIQUE = *scilicet*, [1] habens nonnumquam *sensum quendam ironicum:* 8 (45) Sed ignorantibus subiicitur et inponitur; nihil enim tale de Christianis asseverari sciebant: observandum *utique* sibi et omni vigilantia investigandum. (nostrum: „en dat nog al terwijl"). 9 (48) Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis *utique* non parcendo perseverabat (= natuurlijk). 25 (161) Vellet Iuno Punicam urbem posthabita Samo dilectam ab Aeneadarum *utique* gente deleri? (= Belg. „en dat nog wel door:", idque a). 28 (169) Formati estis ab iisdem *utique* spiritibus, ut nos pro salute imperatoris sacrificare cogatis, sqq. 35 (187) Atque adeo omnes illi sub ipsa usque impietatis eruptione et sacra faciebant pro salute imperatoris et genium eius deierabant, alii foris alii intus, et *utique* publicorum hostium nomen Christianis dabant. (= B. „natuurlijk"). 40 (211) Sed et mare Corinthium terrae motus ebibit, et vis undarum Lucaniam abscisam in Siciliae nomen relegavit. Haec *utique* non sine iniuria incolentium accidere potuerunt. (= Belg. „natuurlijk")[2]

---

[1] *Koffmane*: Geschichte des Kirchenlat. II. 135.

[2] Cf. etiam de Res. Carnis 48 (O. II. 544) Et delebit deus omnem lacrimam ab oculis eorum; *utique* ex iisdem oculis qui retro fleverant. De Anima, 25 (O. II. 597). Est etiam aeneum spiculum, quo iugulatio ipsa dirigitur caeco latrocinio: *ἐμβρυοσφάκτην* appellant de infanticidii officio, *utique* viventis infantis peremptorium. Adv. Hermog. 11 (O. II. p. 349) cum pater filio posuerit inimicos sub pedes, *utique* operarios mali; ibid. 12 (O. II. p. 350) Et vidit deus quia bona, et benedixit ea deus, *utique* quia optima, non certe quasi mala ac pessima.

Dubia nobis esse videtur significatio quam *Rönsch* (Semasiol. Beiträge II. 84) vocabulo „*utique*" tribuit, dicens nonnumquam „*utique*" usurpari pro Graeco *ἄν*. In omnibus locis, quos Rönsch collegit, „utique" optime per „scilicet" explicari potest.

Errat Oehlerus et cum Oehlero Rönschius „**si utique**" interpretantes: „*si forte.*" 49 (260) Sed in eiusmodi enim, *si utique*, inrisui iudicandum est, non gladiis et ignibus et crucibus et bestiis. (i. e. *Si talia iudicanda sunt — sunt autem non iudicanda — inrisui non suppliciis iudicanda*). De cultu femin. I. 9 (O. I. p. 712) Nam ut quaedam rerum per singulas quasque terras ct unamquamque regionem maris a deo distributa sunt invicem sibi peregrina, apud exteros mutuo rara, apud suos iure, *si utique*, vel negleguntur vel appetuntur, quia non tantus est in illis gloriae fervor, inter domesticos frigidae. I. e. *si umquam vel usquam eiusmodi res vero suo pretio aestimantur, quod vereor ut unquam fiat.* Adv. Marc. IV 7 (O. II. p. 169) Bene autem quod et deus Marcionis illuminator vindicatur nationum, quo magis debuerit vel de caelo descendere, et, *si utique,* in Pontum potius descendere quam in Galilaeam. I. e. *si omnino de caelo descendere debuit, ubi melius remansisset.*

Iis tribus locis „*si utique* significat: „*wenn überhaupt.*"

DE PROPRIETATIBUS QUIBUSDAM STILI TERTULLIANI.

Cf. de Virg. Vel. 4: Naturaliter compendium sermonis et gratum et necessarium est, quoniam sermo laciniosus et onerosus et vanus est.

Tertulliani dicendi genus multum obscurum atque caliginosum esse breviloquentia ante incognita, ita ut a pura Ciceroniani sermonis integritate maxime abalienatum sit, vix quisquam infitiabitur, vel mediocriter in eius libris legendis versatus. Saepenumero ellipsis invenitur complurium orationis partium, quae apud bonae aetatis scriptores numquam vel raro desiderantur. Supra iam de specie breviloquentiae locuti sumus quae versatur in usu praepositionum „ante, post, ad, in," et substantivorum in „tor" et „trix" desinentium. Amat Tertullianus uti verbis, quae ex consequenti aut accidenti rem ipsam significent (cf. Herald. Oehl. p. 141 ed. min.). Quamquam apud alios quoque scriptores ea proprietas, quae metonymia vocatur, in usu est, apud Tertullianum tamen vox propria et vocabulum quod est adhibitum multo latius inter se distant. Denique lectori diligenti multa in promptu sunt, quae stilum Tertullianum obscurum difficilemque intellectu reddant. Breviter unum et alterum quasi summo digito attingere et exemplis afferendis, quibus longo commentario facile supersederi potest, ostendere quales libertates Tertullianus sibi permiserit, haud alienum a nostro proposito existimavimus.

DE BRACHYLOGIA. [1] Exempla quae sequuntur magna ex parte per ellipsin sunt explicanda.

[1] cf. *Kühner* II § 241 pg. 1042 sqq. *Wichert* „über die Ergänzung

Cf. 2 (11) De nobis nihil tale, cum aeque extorqueri oporteret, quot, cum falso iactatur, quot quisque iam *infanticidia degustasset* (pro: *infantes occisos*), quot *incesta contenebrasset* (pro: *in tenebris incesta commisisset*). 2 (13) Negat (*Christianos*) inquirendos ut innocentes et mandat (*eos*) puniendos ut nocentes. 3 (21) Nunc igitur (*rogo*), si nominis odium est, quis nominum reatus? 7 (41) Cur malum (*est*) fama? quia velox (*est*)? quia index (*est*)? 7 (41) An vero famae credat nisi inconsideratus? (mente supplendum est: *minime.*) Quia sapiens non credit incerto. 8 (44) Cupio respondeas, si tanti aeternitas, aut si non (*tanti est*), ideo nec credenda. 8 (44) Alia nos, opinor, natura (*regit*); Cynopae nae aut Sciapodes (*sumus*); alii ordines dentium (*sunt*), alii ad incestam libidinem nervi. 8 (45) Tum ille (*dicit*): infans tibi (*est*) necessarius. 9 (49) Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iuppiter quidam quem ludis suis humano sanguine proluunt. Sed bestiarii, inquitis (h. e.: *sed eum sanguine bestiarii proluunt*). 9 (50) Homo est et qui est futurus (*homo*). [1] 10 (58) Sequitur, ut eādem ratione pro aliis non sacrificemus, quia (van der Vliet: *qua*; cf. supra dicta) nec pro nobis ipsis (*sacrificamus*). 10 (61) Facile fuit eorum filium dici quorum et omnes possumus videri (sc. *filii*). 11 (63) Certe si ipsi se facere potuissent (*deos*); 12 (69) ut revera nobis solatium poenarum esse possit quod eadem et ipsi patiuntur ut fiant (*dei*). 13 (72) praelatio alterius sine alterius contumelia non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione (*potest procedere*). 18 (100) et inquisito invenire, et invento credere, et credito deservire. (*omissa sunt subiecta Ablativorum absolutorum.*) 18 (103) Hebraei retro (*erant*) qui nunc Iudaei (sunt). Igitur et litterae Hebraeae (*sunt*) et eloquium. 19 (116) Deinceps multa (*cecinerunt*) et alii prophetae vetustiores litteris vestris. 21 (116)

---

elliptischer Satztheile aus correspondirenden im Lat." I Th. Progr. Guben 1861; *Draeger* Hist. Synt. I. p. 189 sqq.

[1] *Kellner:* Sprachl. Eigent. Tertull.

Necesse est igitur pauca (*loquamur*) de Christo. 21 (133) Non qua rupices et adhuc feros homines multitudini tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa (*faciebat*). 22 (134) Omnis sciunt poetae (*daemonas*), etiam vulgus indoctum in usum maledicti (*eos*) frequentat. 23 (143) Sed hactenus verba; iam hinc demonstratio rei ipsius (*sequatur*). 24 (157) Bene (*est*) quod omnium deus (*is est*) cuius velimus aut nolimus omnes sumus. 29 (172) ideo ergo committimus (*scelus*) in maiestatem imperatoris. 30 (173) Illuc suspicientes (*sunt*) Christiani manibus expansis, quia innocuis (pro: *quia manus innocuae sunt*). 31 (177) Sed etiam nominatim atque manifeste: Orate, inquit (*Apostolus*). 33 (178) Sed quid ego amplius de religione atque pietate Christiana in imperatorem (*dicam*)? 34 (180) dicam plane imperatorem dominum, sed more communi (*id faciam*), sed quando non cogor, ut dominum dei vice dicam. 34 (181) Tamquam si habens imperatorem alterum (*imperatorem*) appelles, nonne maximam et inexorabilem offensam contrahes eius quem habuisti (*imperatorem*), etiam ipsi timendam quem appellasti (*imperatorem*)? 35 (182) Grande videlicet officium, focos et toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu abolefacere, *vino lutum cogere* sqq. h. e. *humum vino profuso madidare ita ut lutum fiat.* (*vinulentiam facere* λ. *vinolentum cogere* G). 2 (14) Itaque nec in illo ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus tormenta adhibetis *ad confitendum* (pro: *ut confiteri cogantur*), solis Christianis *ad negandum* (pro: *ut negare cogantur*). 35 (185) Sed vulgus (*talia facit*) inquis. Ut vulgus (*sit*), tamen Romani sunt. 35 (187) Unde qui armati palatium inrumpunt, *omnibus tot Sigeriis atque Partheniis* audaciores? (*omnibus Sigeriis atque Partheniis, quorum tantus est numerus, audaciores*). 40 (210) Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim „Christianos ad leonem" adclamatur. Tantos ad unum? 40 (215) eundem igitur nunc quoque scire debet iratum quem et retro (*iratum*) semper

(*sciebant*). 40 (215) Denique *cum ab imbribus aestiva hiberna suspendunt* et annus in cura est cett. (Oehlerus explicat: „*per aestiva nubila quoad imbres differuntur hiberna et suspenduntur.*" Praefero alteram Oehleri explicationem: „*per aestivalis temporis longam serenitatem differuntur imbres hiemales*".) 42 (221) nullum fructum operum eius repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur (*fructu*). 40 (223) Quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius esse liberis et solutis et undique vagis (*uti*). Sed etsi in coronam *coactis* (pro: *coacti sunt*), nos coronam naribus novimus. 48 (251) Quemlibet pro quolibet (*rediturum esse*), dum hominem (= *dummodo homo sit*), ut eadem qualitas animae in eandem restauretur condicionem, etsi non effigiem (pro: *etsi non in eandem effigiem restauratur*)? 50 (262) Licet nunc sarmenticios et semaxios (*nos*) appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.

Ellipsis **ACCUSATIVI SUBIECTIVI IN STRUCTURA ACC. C. INF.** [1] 21 (125) nec ulla magis inter nos et illos compulsatio est quam quod (*eum*) iam venisse non credunt. 21 (127) praedixerat et ipse (*eos*) ita facturos. 21 (129) (*eum*) subreptum (esse) a discipulis iactitaverunt. 23 (142) cum eadem edant quae faciant (*se*) deos credi. 25 (159) si ad ultores transire (*se*) prospexit. 32 (178) itaque nolumus experiri, et dum precamur differri (sc. *clausulam imperii*), Romanae diuturnitati favemus. 35 (183) non celebrando vobiscum sollemnia Caesarum quo more (*sollemnia*) celebrari nec modestia nec verecundia nec pudicitia permittunt. 40 (214) ut iam hoc revincam non ab eis evenire (*istas clades*). 47 (245) alii incorporalem (*eum esse*) adseverant, alii corporalem, ut tam *Platonici* quam Stoici.

Ellipsis comparativi **„MAGIS"**: [2] 1 (4) An hoc magis

[1] De pronominibus „se" et „eum" omissis in structura Acc. c. Infinitivo cf. *Fleckeisen:* Jahrbücher 1880. pg. 725.

[2] Cf. *Hildebr.* ad Apul. tom. II. p. 361 et ad Arnob. V. 2; *Hand.* Tursell. III p. 571. *Burm.* ad Vellei. II. 129; *Cort.* ad Sallust. B. Cat. 8.

gloriabitur potestas earum, *quo* (sc. magis) etiam auditam damnabunt veritatem? 21 (115) Sed quoniam antiquissimis Iudaeorum instrumentis sectam istam esse suffultam quam *aliquanto magis* novellam, ut Tiberiani temporis, plerique sciunt, profitentibus nobis quoque: sqq. (Pro „*aliquando*" in edd. Rhen. Gangn. Gelen. Barr. extat „*aliquando*", ut etiam in Fuld., in quo totus locus ita legitur: „*quam scient aliquando novellam ut Tiberianis temporibus ortam plerique sciunt.*")

Ellipsis particulae „**utrum**" *sequente* „*an*": 9 (49) Sed quoniam de infanticidio nihil interest *sacro an arbitrio* perpetretur sqq. [1]

Kalb. Roms Juristen pg. 127; *Wölfflin*, Komparation p. 68; *Kühner* II. 972, A. 6.; *Schmalz-Landgraf*, Reisigs Vorles. III. 172 Anm. Cf. ad Nat. I. 4(280) Alii quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos norant, emendatos repente mirantur et tamen *mirari quam assequi* norunt. I. 7(286) *Quanto* enim *proni* ad militiam tanto ad mali fidem opportuni estis facilius. I. 8(293) quo fidem vestram *vanitatibus quam veritatibus* deditam demonstrare gestimus. I. 12(312) *quantoque* genus censetur origine, *tanto* origo convenitur in genere. II. 9(364) quod telum quantum vulgare, atque caninum, *tanto ignobile* vulnus! II. 12(377) At *quanto* diffusa res est *tanto* substringenda nobis erit. Cf. de test. an. 1 (O. I. p. 401) *Tanto* abest, ut nostris litteris annuant homines sqq. De Fuga in Persec. 2: Vides iam et a servis dei facilius diabolum accipere potestatem; *tanto abest*, ut eam ex proprietate possideat. De Bapt. 2 (O. I. p. 620) „Nihil adeo est quod obduret mentes hominum *quam* simplicitas divinorum operum." Eiusmodi ellipsin habes paullo infra in verbis „*eo incredibilis* existimetur consecutio aeternitatis." De Resurr. carnis 32 (O. II. p. 507) Et utique triduo concoquendae carni viscera ceti suffecissent *quam* capulum, quam sepulchrum, quam senium requietae atque reconditae alicuius sepulturae. Adv. Hermog. 14 (O. II. p. 351) Quaecumque potestas ei *quam* pusillitas competit. Ibid. 24 (O. II. p. 360) „*quanto* non comparet cui adscribatur," etsi Oehl. suspicatur legendum „*quando.*" Sed alia huius ellipsis exempla, quae innumeris locis ap Tert. reperitur, omittimas. Vide etiam *A Schott.* Observatt. Hum. V. 24; *Muncker.* ad Fulgent. mythol. II. 7. p. 676.

[1] *Ellipsis* DEMONSTRATIVI PRONOMINIS non infrequens Tertulliano est Ex libris adv. Marc. nonnulla exempla dabimus huius ellipseos generis: IV. 39 (O. II. p. 262) Olim constitit de nominum proprietate deberi

INQUIT *absolute positum est pro:* **INQUIT ADVERSARIUS** [1] 1 (8) Sed non ideo „*inquit*, bonum, quia multos convertit: 2 (15) Hoc sum, *inquit*, quod quaeris an sim: 31 (177) Sed etiam nominatim atque manifeste: Orate, *inquit*, pro regibus et pro principibus et potestatibus, ut omnia tranquilla sint vobis. 46 (233) Eadem, *inquit*, et philosophi monent atque profitentur, innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam.

SI FORTE peculiare est stili Tertullianei, semper positum pro: *scilicet*, *fortasse*, *nempe*, *atenim*, *cum ironia fere dictum*; est *per ellipsin* quoque explicanda ea formula. [2] 16 (91) nos, *si forte*, integrum et totum deum colimus. 16 (93) Alii plane humanius et verisimilius solem credunt deum nostrum. Ad Persas, *si forte*, deputamur. 20 (114) apud homines, *si forte*, distinguitur, dum expungitur; 23 (148) dicant hoc pro tribunali, *si forte*, Minöen et Radamanthum secundum consensum Platonis et poetarum hoc esse sortitos; 38 (198) Si oblectari novisse nolumus, nostra iniuria est, *si forte*, non vestra. 41

---

illam (sc. *ei*) qui prior et Christum suum in homines annuntiaret et Jesum transnominaret. II. 6. fin. „Denique et bonitas dei a primordio operum perspecta persuadebit nihil a deo mali evenire potuisse, et libertas hominis recogitata *se* potius *ream ostendet quod* ipsa commisit." IV. 38 (O. II. p. 260) nisi quod necesse est, qui suum denarium non habet.

[1]) Cf. *Hildebr.* ad Arnob. I. 9; *Bentl.* ad Hor. Serm. I. 4. 79.

[2]) Cf. Oehleri explicationem „de Cor. 5 (O. I. p. 427)": „Locutio *si forte* Graecorum est **εἰ τύχοι** vel **εἴπερ ἄρα,** uti viderunt iam Turneb. Advv. XXVII, 1. Muret. V. L. XVI, 9. et Garaton ad Cic. pro Milone cap. 38. p. 329. ed. Lips. Tertullianus ea frequentissime utitur, sed constanter ita, ut sit affirmantis, passim cum ironia quadam, unde non sine iure statuit Gothofredus ad Tertull. Ad. Natt. I. 12. p. 120. eam fungi fere pro *scilicet*, *nempe* vel *atenim*. Similiter nos cum dicimus de re certissima et minime dubitata „wenn dem so ist" vel „wenn dem so sein sollte." Cf. de Pallio c. 2: „Ab Assyriis, *si forte*, aevi historiae patescunt." ad nat. I. 15: „Si illa (sc. religio) impudica est, nostra vero crudelis, coniungimur, *si forte*, natura, qua semper saevitia cum impudicitia concordat", h. e. si quā re forte coniungi possimus.

Cf. *Rönsch*, I. u. V. p. 344.

(219) et sequitur ut omnes saeculi plagae nobis, *si forte*, in admonitionem, vobis in castigationem a deo obveniant. 43 (225) Plane confitebor, quinam, *si forte*, vere de sterilitate Christianorum conqueri possiut.

Substantivum quod est subiectum in sententia indirecta pro obiecto in propositione primaria positum est: [1] 11 (63) „Volo igitur *merita* recensere, an eiusmodi sint". Notum est hunc usum Graecorum proprium esse, ex. gr. „οἶσθα τὴν γῆν, ὁπόση ἔστιν;"

SI QUI VELIT *fortasse Hellenismus est.* 18 (100) adiecit instrumentum litteraturae, *si qui velit* de deo inquirere.

Licentiam aliquam sibi **in collocanda negatione** *indulget Tertullianus.* 2 (14) Neque enim ideo *non* putaretis requirenda quaestionibus scelera, sqq. 2 (10) quando si de aliquo nocente cognoscitis, *non* statim confesso eo nomen homicidae, contenti sitis ad pronuntiandum, nisi et consequentia exigatis, sqq.

Peculiare stili Tertulliani est: **PARUM EST SI, MULTUM EST SI.** [2] 6 (34) *parum est si* senatorum et non libertinorum vel adhuc flagra rumpentium (h. e. parum est si modo senatores tales lances faciendas curant neque accedit quod etiam libertini et plagipatidae idem faciunt.) 21 (127) Praedixerat et ipse ita facturos; *parum, si* non et prophetae retro. 21 (131) Sed monstrabimus vobis idoneos testes Christi ipsos illos quos adoratis. *Multum est si* eos adhibeam ut credatis Christianis propter quos non creditis Christianis.

VIDERIT, VIDERINT, [3]) Frequentissimus est huius locu-

---

[1] Cf. *Kellner.* Sprachl. Eigent. Tert.

[2] Cf. ad Nat. II. 8. (358): Haec libertas adoptandorum deorum quousque profecerit Aegyptiorum superstitiones docent, qui etiam bestias privatas colunt spiritu crocodilos et anguem suum. *Parum est si* etiam hominem consacrarunt.

De Idololatria 7 (O. I. p. 75) Nec hoc sufficit. *Parum sit, si* ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipsae tradunt aliis quod contaminaverunt.

[3] Cf. Cic ad. Att. XII. 21; Quinctil. Instit. Orat. I. 4. 10; V. 13. 11; VII. 1. 54; XI. 3. 135; Petron. Satyr. cap. 87. Ovid. Am. II. 371;

tionis apud Tertullianum usus, nec antiquioris aetatis scriptoribus ignotus, ubi *aliis rei cuiuspiam cura relinquitur*, idem fere significans quod „*nihil refert*". 16 (89) Cum lignum aliquod propitiatur, *viderit habitus*, cum materiae qualitas eadem sit, *viderit forma,* dum id ipsum dei corpus sit (i. e. *nihil refert habitus, nihil forma.*) 25 (159) *Viderit*, Cybele, si urbem Romanam ut memoriam Troiani generis adamavit. 42 (223) *Viderint* qui per capillum adorantur. Cf. Min. Fel. 38.2,

---

Trist. V. 2. 43; similiter et Graeci passim, ut Lucian. Dial. Mort. tom. I. p. 267 (ed. Voss.) „*Ἀμφίλοχος μὲν οὗτος ἂν εἰδείη ὅτι αὐτῷ ἀποκριτέον ὑπὲρ αὐτοῦ.*" Id. Contempl. pg. 345: „*εἰ δὲ ἀληθῆ ἐστι, σὺ ἄν, ὦ Ἑρμῆ, καὶ οἱ ποιηταὶ εἰδῆτε.*" Cf. porro ad Nat. I. 7 (291) *viderimus* de fide istorum, dum suo loco digeruntur. I. 12 (310) *viderint* nunc liniamenta, dum una sit qualitas, *viderit* forma, dum ipsum sit dei corpus. Ad. Nat. I. 17: Hoc loco Romana gens *viderit* in quibus indomitae et extraneae nationes. II. 6. (351) *Viderint* igitur humanae doctrinae patrocinia quae coniectandi artificio sapientiam mentiuntur et veritatem. De Pall. c. 6: „*Viderit* nunc philosophia quid prosit." De Paenit. c. 2 „*Viderit* ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis paenitentiam cogit." Adv. Hermog. 1: „Sed *viderit* persona; cum doctrina mihi quaestio est." Adv. Valent. c. 9: „*Viderit* soloecimus, sophia enim nomen est." De Virg. Vel, 7: „Proinde *viderit* saeculum aemulum dei, si sqq." De Test. An. 1: „*Viderint*, si qui de unico et solo deo pronuntiaverunt." De Anima, c. 10: „*Viderint* disciplinae et artes, *viderint* et effigies." Ad Scap. c. 4: „*Viderint* qui sectam mentiuntur."

Verba et adiectiva, quae nove aut insolenter in Apologetico usurpata sunt.

I. VERBA.

Abolefacere, idem significans quod „*abolere*": 35 (182) Grande videlicet officium, — — — civitatem tabernae habitu *abolefacere*, sqq. (Nisi fortasse legendum est: *obolefacere.*) Cf. *Goelzer*: lat. de St. Jérome pg. 191. *Abolere* = *delere*: Ap. 40: cum totum orbem cataclysmus *abolevit*.

Abdicare = *exheredare, hereditate excludere, exheredem facere*: 3 (20) Uxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus, filium subiectum pater retro patiens *abdicavit*. Cf. *Quinct.* inst. 7. 4. 11: Quae in scholis *abdicatorum*, haec in foro exheredatorum a parentibus ratio est. *Plin.* hist. nat. 6. 22 (24) 90: elegi regem liberos non habentem et, si postea gignat, *abdicari*, ne fiat hereditarium regnum.

Accepto ferre = *probare, pro lucro et honore habere*, 13 (75): *Accepto ferent* dei vestri, immo gratulabuntur, quod pares eis fiant domini sui. Cf. ad Nat. I. 7 (290) Tacent igitur et *accepto ferunt*. Praeter „accepto ferre" usurpantur: *accepto facere* (Rönsch Sem. Beitr. pg. 2) et „*accepto habere.*" *Accepto facere* = *remittere, ignoscere*, de Pudicitia 16 (O. I. p. 826): „quanto delicta ista ante lavacrum *accepto facit*, tanto post lavacrum inremissibilia constituit. Gloss. Steph. p. 11: *accepto tulit*, παρεδέξατο, ἀσμένως ἤνεγκεν. Cf. Rönsch. I. u. V. p. 347. Archiv. II. 388.

Acerbare = *irritare*. 50 (265): Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum *acerbata* tantum ho-

norem tolerantiae domui conferunt quantum sanguinis fuderint. Cf. Verg. A. 11, 407. In Apol. huius verbi participium solum perf. pass. invenitur. *V. Rönsch*: I. u. V. p. 169.

Acescere = *acidum fieri;* cf. *Hor.* Ep. 1. 2. 54; *Colum.* de re rust. 12. 26. 1; Plin. H. N. 7, 15 (13), 64; 11, 35 (41), 118; Dig. 18. 1. 9. § 2. *De aëre, multorum hominum exhalatione corrupto,* dictum reperitur id verbum: 39 (205): Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus *acescit* aër.

Adire = *percipere, cognoscere* insolita ratione obviam est 18 (100): Sed quo plenius et impressius tam ipsum quam dispositiones eius et voluntates *adiremus,* adiecit instrumentum litteraturae, sqq. (*adiret,* F. *adoremus,* G.) *Adire pro: uti*: 18 (105) vectigalis libertas vulgo *aditur* sabbatis omnibus.

Adorare templum est Graecorum **προςκυνεῖν ναόν.** Cf. Joseph. Antiquitates Jud: XIII. 5 et Valer. Max. I. 6. 13. Ap. 15 (86) Christiani enim templa nec interdiu norunt; spoliarent forsitan ea et ipsi, si et ipsi *ea adorarent.*

Adsidere = *assiduam operam dare,* 19 (110): Multis instrumentis cum digitorum supputariis gesticulis *adsidendum est.* Cf. *Sen.* Ep. 72. 3: „Omnia alia neglegenda sunt, ut huic (philosophiae) *assideamus.*" Eadem ratione scripsit *Plin.* Ep. 3. 5: „tota vita litteris *adsidere*;" *Plin.* Paneg. 81 „gubernaculis *adsidere.*"

Allegere in a pluribus editoribus legitur pro „*allegare in*" 11 (65) „Vacat ex hac parte causa *allegendae* humanitatis *in* divinitatem." Cf. ad Nat. II. 7 (352) „Si addicenda mortuis divinitas erat, non utique talibus?" Saepissime a Suetonio usurpatur hoc verbum pro: *eligere in aliquod officium vel munus.*

Apparentes de caelo *supervenisse* 10 (61). Haec locutio, quae proverbii locum obtinet, ex arte scenica est desumpta et convenit cum Graeco: **οὐρανοπετεῖς.** Cf.c.4. neque enim de caelo ruit.

Apparere = *ministrare* 13 (75): Quo differt ab epulo Iovis silicernium? a simpulo obba? ab haruspice pollinctor? nam et haruspex mortuis *apparet.* 48 (258) Ita longe alius est

qui usui humano, alius qui iudicio dei *apparet*. Cf. etiam de Spectac. 10 et *Cic*. de legg. XI. 8. 21: sacerdotes diis *apparento*.

Assistere = *adiuvare* 23 (142) si (magi) et somnia immittunt habentes semel invitatorum angelorum et daemonum *adsistentem* sibi potestatem, per quos et caprae et mensae divinare consuerunt: sqq. Cf. *Suet*. Dom. 17: puer *assistens* curae Larium cubiculi; *Tac*. Hist. 3. 31; *Quinct*. I. 3. 14; I. 2. 12; I. 11. 14; de auxilio in iudicio alicui lato: Plin. ep, 7. 6: *Assistebam* Vareno iam tantum ut amicus, et tacere decreveram. Cf. Dig. 27. 7. 25.

Adsolare = *pessumdare* 15 (84): Singula ista quaeque adhuc investigare quis posset, si honorem inquietant divinitatis, si maiestatis vestigia *obsoletant?* (*adsoletant*: Beat. Rhen.; **adsolant** ediderunt Haverkampius et Rigaltius, quod legitur in loco simili ad Nat. I. 10 (308) Singula ista quaeque adhuc investigare quis possit, si honorem inquietant divinitatis, si maiestatis fastigium *adsolant*?) Cf. ad Nat. I. 10 (300) Saepe censores inconsulto populo *adsolaverunt*, sqq. *Rönsch*. I. u. V. p. 202.

Aestimare = *existimare* 16 (87): onagris, qui forte de pastu potum petituri *aestimabantur*, indicibus fontis usos sqq. 17 (98) Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod *aestimari* = *animadvertere* potest, minus est et oculis quibus occupatur sqq. 21 (125) Quem igitur solummodo hominem praesumpserant de humilitate, sequebatur uti magum *aestimarent* de potestate cett. 31 (177) Cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius, utique et nos, licet extranei a turbis *aestimemur*, in aliquo loco casus invenimur. Cf. porro ad. Nat. I. 7 (291) Si nihil tale probetur, grande nescio quid *aestimari* oportet, cuius compensatio tantarum atrocitatum tolerantia constat. I. 11 (309) = Ap. 16 (87). Apud Afros scriptores hoc verbum raro ea significatione praeditum in usu est; cf. *Hildebr*. ad Arnob. II. 56; *Rönsch*: Semasiolog. Beiträge zum Lat. Wörterb. III. 6.

Agere *corruptelas* pro: *efficere*, *operari*, insolenter dictum est 22 (137) Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio daemonum et angelorum mentis quoque *corruptelas agit* furoribus sqq. Cf. de huius verbi usu 10 (59) „Certe enim *oblitos agitis*" et 37 (193) „Si enim et hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus sqq.", quibus locis per brachylogiam dicitur pro: *partes obliti*, *hostium etc. agere.*

Capit = *fieri potest.* Cf. ea, quae supra de hoc verbo dicta sunt. Vide *Rönsch.* I. u. V. p. 351; Semasiol. Beitr. z. L. W.; *Prudent.* Apoth. 154. *Paulin. Nol.* carm. 9.22.

Censeri = *originem ducere* frequenter in Tert. scriptis obviam habemus. 12 (70) In metalla damnamur: inde *censentur* dei vestri. 15 (85) De contemptu utique *censentur* tam eorum qui eiusmodi factitant quam eorum quibus factitant. Cf. *Rönsch*: Semas. Beitr. z. L. W. III. 13 et N. Test. Tert. (Leipzig 1871) pg. 626—628. *Census* saepe idem valet quod *origo.*

Cogere = *densare*, *condensare* 35 (182) „vino lutum cogere," invenitur etiam ap. Verg. Georg. IV. 36, et frequenter ap. Plinium et Celsum.

Commentari = *explicare* 21 (132) Licuerit et Christo *commentari* divinitatem. Cf. Suet. gr. 2: Carmina *commentari.*

Compulsare = *hostiliter inter se Collidi*, nostrum „*in botsing komen met*" 20 (113) „quod regna regnis *compulsant*", in posteriore tantum latinitate reperitur. Cf. 38 (197) quae res facile comitia, concilia, — — — spectacula etiam aemulis studiorum *compulsationibus* inquietaret, sqq. App. Met. 7 p. 197. 16.

Consistere = *sistere se in iudicio contra aliquem*, porro = *causam dicere*: 4 (22) Atque adeo quasi praefatus haec ad suggillandam odii erga nos publici iniquitatem, iam de causa innocentiae *consistam.* 19 (106) Multis adhuc de vetustate modis *consisterem* divinarum litterarum. 46 (239) si de simplicitate *consistam.* 46 (232) *Constitimus*, ut opinor, adversus omnium criminum intentationem, sqq. (= *locum occupare*, *post vatten*, *standhouden.*) Cf. *Sen.* de via 2. 7. cum matre c.;

Dig. 5, 3.49: cum debitoribus c.; *Quinctil.* 4. 2. 12. ex diverso c.; Dig. 5. 1. 53, adversus dominos c.; Cic. Caec. 21.

Constuprare = *violare, de divinitate dictum:* 15 (83) nonne violatur maiestas et divinitas *constupratur* laudantibus vobis? Cf. ad Nat. I. 10 (307) „*Constuprantur* coram vobis maiestates in corpore inpuro." Idem significans quod „*corrumpere aliquem pecunia,*" reperitur hoc verbum *Cic.* Ep. ad Att. I. 18.3; *Liv.* 29. 17; *Q. Cic.* pet. cons. 3. 10; *Curt.* 10. 1; *Suet.* Vitell. 12.

Consummari = *ad maturitatem et confectionem pervenire:* 48 (254) tempora ubi finiuntur incipiunt, fructus *consummantur* et redeunt. V. *Goelzer:* lat. de St. Jér. pg. 274.

Contaminare, (con-tango) quod in purioris sermonis usu significat: *inquinare, polluere, foedare,* reperitur = *contingere* 17 (98) Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod aestimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus *contaminatur* sqq.

Contenebrare (συσκοτάζειν); 2 (11) quot incesta *contenebrasset* (h. e. *incestum per tenebras admittere.*) Vide Varronem R. R. II. 11: pascunt quoad contenebravit. Rönsch. I. u. V. p. 186.

Continere = *conservare* 11 (64) quia nihil *continendo* et sustinendo homini prospectum post hominem potuit inferri. 17 (99) vultis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus *continemur* sq. Cf. *Arnob.* II. 21: quibus vita succingitur et *continentur* humana. *Lact.* de mort. pers. 5, Dei regentis et *continentis* universa.

Convenire aliquem = *deprehendere, petere, accusare.* 10 (58) Itaque sacrilegii et maiestatis rei *convenimur.* 31 (177) qui magis inimici et persecutores Christianorum quam de quorum maiestate *convenimur* in crimen? 35 (183) Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, de qua in secundum sacrilegium *convenimur* Christiani. Ad Nat. I. 12 (312) quantoque genus censetur origine, tanto origo *convenitur* in genere. I. 17 (324) Vanitatis

sacrilegia *conveniam* et ipsius vernaculae gentis inreverentiam recognoscam sqq. *Rönsch*, Semasiol. Beitr. z. L. W.; *Paucker* Scrutar. p. 38 sq.; *Goelzer*, Lat. de St. Jér. p. 275; *convenire* *occurrere*, *repellere*: ad. Nat. I. 1 (272) Scio plane qua responsione soletis redundantiae nostrae testimonium *convenire*.

Conviolare = *violare* 39 (205) Quid ergo mirum, si tanto caritas conviolatur. *Prudent.* psych. 398 et περὶ τεφ. 6. 56.

Convulnerare 22 (137) si fruges nescio quod aurae latens vitium in pubertate *convulnerat*. *Curt.* 5, 13, 17: Iumenta quoque *convulnerat*. *Sen.* de tranq. anim. 11: eo magis convulneraberis, quia nescis praebere iugulum. *Plin.* 8. 36 (54); 11. 37 (70); Plin. pan. 35. 3. Iust. 2. 6; Frontin. aquaed. 27 et 115.

Coronare = *praemio laudis ornare* 50 (264) ecce enim et tormentorum certamina *coronantur* a vobis. Cf. ad Nat. II. 6 (355) Criminatores deorum poetas eliminari Plato censuit, ipsum Homerum sane *coronatum* civitate pellendum.

Coruscare 33 (180) Et utique hoc magis gaudet tanta se gloria *coruscare*. Cf. Rönsch: I. u. V. pg. 356.

Cruditare in Tert. scriptis solum invenitur 9 (52) alvei *cruditantes* adhuc de visceribus humanis. *Rönsch:* I. u. V. p. 170.

Decachinnare = *cavillari*, *deridere* 47 (248) Et gehennam si comminemur proinde *decachinnamur;* cf. ad Nat. I. 19 (328) sed quo facilius rideatis et resolutius *decachinnetis* sqq. *Rönsch:* I. u. V. pg. 203.

Decinerescere = *in cineres dissolvi*. ἀπ. εἰρ. 48 (258) Adeo manent montes semper ardentes, et qui de caelo tangitur, salvus est, ut nullo iam igni *decinerescat*.

Decoquere = *solvendo non esse*, saepenumero apud argenteae, quae dicitur, aetatis scriptores invenitur. Ap. 42 (224) Certe, inquitis, templorum vectigalia coditie *decoquunt* (= *minuuntur*, *non sufficiunt*, *ut*, *qui templis tuendis praepositi sunt*, *solvere non possint*, *quae pro sartis tectis et*

sacerdotibus servisque alendis debentur). Cf. de Anima 53, (O. II. pg. 640) constantiam, non substantiam *decoquens*, sqq. (= *minuere*).

Deculcare 46 (238) ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia *deculcat*. *Stat*. Th. 1 (622) aspros molares; *Plin*. 17, 10 (111) baccas *deculcare*.

Dedicare = *inchoare*, *usum instituere* 12 (69) in patibulo primum corpus dei vestri *dedicatur*; cf. ad Nat. I. 18 (326): Crucis vero novitatem numerosae, abstrusae, Regulus vester libenter *dedicavit* (*initiavit*, *primus passus est*). *Dedicator* = *auctor*, *princeps* 5 (30) Sed tali *dedicatore* damnationis nostrae etiam gloriamur. Cf. de Carne Chr. 17: „novae nativitatis *dedicator*." De Anima 19 (O. II. p. 587) Mentior si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse quod natus est, omnes simul ibidem *dedicans* sensus sqq. Scorpiac. 1 (O. I. pg. 496) donati a deo ea potestate quam apostolus *dedicavit* cum morsum viperae sprevit. De Paenit. c. 2: „iam inde in semetipso paenitentiam *dedicavit*." Cf. *Hieron*. Epist. LXXIX. „qui primus ab apostolis baptizatus salutem gentium *dedicavit*." *Cyprian*. Epist. XXXIII. de lectore „Hoc die auspicatus est, dum *dedicat* lectionem." *Commodian*. Instr. LIII „Ille parat dona, ille pro victoria laetus suscipit, et proprium satellem *dedicat* esse." *Rönsch*. Semasiol. Beitr. z. L. W. pg. 24. *Goelzer* Lat. de St. Jér. pg. 255.

Defendere = *ulcisci* 4 (27) si vero facta, cur de solo nomine puniunt facta, quae in aliis de admisso, non de nomine probata *defendunt*. Cf. *Ulpian*. Dig. 38, 2, 14. *Rönsch*: Semas. Beitr. z. L. W. pg. 24 et Zeitschrift f. d. histor. Theol. 1875, 1 Heft, pg. 157—159.

Defundere insolita ratione dicitur 50 (266): Et tamen illis omnibus et statuas *defunditis* sqq.

Defungi = *non amplius fungi*, *desinere*, insolenter de siderum occasu usurpatur 48 (254) sidera *defuncta* vivescunt.

Degustare: 2 (11) De nobis nihil tale, cum aeque extor-

queri oporteret, quod cum falso iactatur, quot quisque iam infanticidia *degustasset* sqq. Cf. Catonem r. r. 148: vinum *deg.*; Varronis r. r. 2. 5. 15: pabulum *deg.*; Plin. 18. 2. (2) novas fruges aut vina *deg.*—

Deierare = *iurare per, iureiurando invocare:* 14 (79) Socrates, qui in contumeliam deorum quercum et hircum et canem *deierabat.* 32 (178) Ceterum daemonas adiurare consuevimus, non *deierare.* 35 (187) pro salute imperatoris et genium eius *deierabant.* 46 (233) Quis enim philosophum sacrificare aut *deierare* aut lucernas meridie vanas proferre compellit? — Ad Nat. I. 10 (303) nisi contemneret quos *deieraret* tam ipse quam ei qui ei peierare permittant; I. 10 (304) consentiunt enim ipsi nihil esse quod *deierant,* sqq. I. 12 (313) signa adorat, signa *deierat,* signa ipsi Iovi praefert. I. 14 (323) neque imagines eorum repropitiando (R. cum Havere. *ture propitiando*) neque genios *deierando* hostes populi nuncupamur. I. 17 (325) dubitatur enim de periuris iure, cum ne per deos quidem vestros ex fide *deieretis.* II. 9 (365) Atquin Romanis magis detestandus, qui pro salute principum et domus eorum adversus liberos et coniuges et omne pignus suum *deierant.* Cf. *Ter.* Eun. II. 3. 40; *Suet.* Calig. 24. 27; *Rönsch* I. u. V. p. 188. 189.

Demerere = *deservire* 18 (101) quas *demerendo* sibi disciplinas determinaverit; 21 (132) homines tot numinum *demerendorum* attonitos efficiendo. Ad Nat. II. 8 (357) Deum ergo existimo ubique notum, ... omnibus *demerendum.*

Demutare 13 (73) *demutando* aliquando in caccabulum de Saturno sqq.; 7 (41) detrahens, adiiciens, *demutans* de veritate; cf. *Plaut.* Mil. Glor. 4. 7. 8; Trin. 1. 2. 36; Ps. 1. 5. 153; *App.* de mag. pg. 284. 17.

Denotare = *criminari, arguere, reprehendere, ignominia afficere:* 1 (6) Ex his fiunt Christiani et sunt tanti quanti et *denotamur;* 1 (7) Quanto magis hoc Anacharsis *denotasset;* 1 (9) si *denotatur,* gloriatur; si accusatur, non defendit; 3 (20) ex ipso *denotant,* quod laudant: 37 (192) Quid tamen de tam

conspiratis umquam *denotastis*, sqq. Cf. ad Nat. I. 1 (273) Si *denotatur*, gloriatur, si trahitur, non subsistit, sqq. I. 4 (281) Si et mali de suo malo rabiant (radiant R. cum *Rig.*) cur nos soli contra instituta naturae pessimi de bono *denotamur?* I. 14 (316) Quid itaque nostrum unicum *denotatis? Suet.* Calig. 56; *Dig.* XXX. 54. pr. Rönsch I. u. V. p. 357; *Goelzer*, lat. de St. Jér. p. 275.

Densare insolenter dicitur 39 (200) disciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus *densamus*. (H. e. *saepe repetitis praeceptis confirmamus*).

Depalare = *delimitare*, nostrum: *afpalen* 10 (60) Civitas quam *depalaverat* Saturnia usque nunc est. Cf. similem locum ad. Natt. II. 12 (382). Cf. *Orelli* inscr. 3688 et *Rönsch*. I. u. V. p. 203.

Dependere *officia* = *tueri, servare, fungi*. 35 (188) Eadem *officia dependunt* et qui astrologos et aruspices et magos de Caesarum capite consultant.

Depretiare = *minoris pretii facere, contemnere* 45 (231) Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque *depretiat;* ad Nat. I. 10 (302) nec contenti estis deis honorem non habuisse, nisi etiam quemcumque habetis *depretietis* aliqua indignitate. *Dig.* 9. 2. 22. 1; *Paul. Nol.* Carm 22. 56; *Sidon.* ep. 2. 10; *Ambros.* ep. 47; *Rönsch:* I. u. V. pg. 203 et 204.

Deputare = *putare, censere:* 4 (23) Respondebimus ad singula quae in occulto admittere dicimur, ... in quibus inridendi *deputamur*. 11 (65) Quod autem invenitur, fuit, et quod fuit, non eius *deputabitur* qui invenit, sed eius qui instituit, sqq. 13 (77) licet non nobiliores dei veteres, tamen contumeliam a vobis *deputabunt* hoc et aliis licuisse quod solis antiquitas contulit. 20 (115) ex futuro praesens, dehinc ex praesenti praeteritum *deputatur*. 23 (146) nec divinitas *deputanda est* quae subdita est homini; 25 (163) Sed quam vanum est fastigium Romani nominis religiositatis meritis *deputare*, sqq. 35 (183) occasio luxuriae religio *deputabitur;* 38 (196) Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones sectam istam *deputari* opor-

tebat (= *computari*); cf. *Rönsch:* I. u. V. p. 358; 46 (234) Quidni cum secundum deos philosophi daemonas *deputent?* Ad Natt. I. 7 (288) Atquin et idem vocamur et in iisdem *deputamur* sqq. I. 8. (294) Sed de superstitione tertium genus *deputamur*, sqq. II. 14 (392) quo magis Scipio quam Hercules obtinendus divinitati *deputatur*. Cf. *Klussmann* p. 64, sq : V. *Plaut*. Trin. 3. 3. 20; Amph. 1. 1. 6; *Ter*. Hec. 3. 5. 27; *Id.* ib. 5. 3. 1; 4. 1. 9; *Phorm*. 2. 1. 21; *Vopisc*. Flor. 4.

Deputare cum „ad" vel Dat. casu coniunctum = referre, tribuere, adsignare, adscribere: 10 (93): Ad Persas, si forte, *deputabimur;* 41 (219): Quia si quid adversi infligitur, vestris meritis *deputatur;* ad Nat. I. 2 (274): Porro de nobis, quos atrocioribus ac pluribus criminibus *deputatis*, breviora ac leviora elogia conficitis. I. 5 (282): Quaerite sectam cui malitiae *deputatur*. I. 12 (312) Eam (sc. arborem) si transferas vel de brachiis eius in aliam subole utaris, cui *deputabitur* quod de traduce provenit? I. 18 (326) Sed vestris ista ad gloriam, nostris ad duritiam *deputatis*. II. 7 (352) Ceterum ut ad mythicum transeamus, quod poëtis *deputatur*, sqq. Vide *Rönsch:* I. u. V. pg. 358; Cf. Pall. Non. 11; Id Mart. 11. 6; Id. Sept. 10. 1; Id Iul. 12; Macr. 7. 14; Vop. Tac. 10; Lampr. Alex. Sever. 20; Vop. Prob. 5; Aur. 13; Treb. P. Claud. 11. 8; Capit. Clod. Alb. 5.

Deputare = decerpere, abscidere, 19 (106): de prophetia affectatio eius poeticam vaticinationem *deputavit*.

Destinare = *notare* 6 (37) in quo principaliter reos transgressionis Christianos *destinastis*. Cf. de variis in posteriore latinitate huius verbi significationibus: *Rönsch*. I. u. V. p. 385 et Semas. Beitr. z. L. W. p. 27.

Detinere = *accusare* 3 (22) at nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta nomen *detinetur*. Cf. ad Natt. I. 3 (278) *Detinetis* igitur in hominibus innoxiis etiam nomen innoxium nostrum, sqq. I. 4 (279) in solum nomen inpingitis, quasi in illo *detinentes* sectam et auctorem, quos omnino non nostis.—I. 16 (318) Quid enim tale in vobis *detinebo?*

Detriumphare aliquem in Apol. solo invenitur; 27 (169) et illos numquam magis *detriumphamus* quam cum pro fidei obstinatione damnamur.

Dicere = *accusari* 2 (10) quodcumque *dicimur*, cum alii *dicuntur*, et proprio ore et mercenaria advocatione utuntur; 7 (38) *Dicimur* tamen semper, nec vos quod tam diu *dicimur*, eruere curatis.

Digerere = *narrare*, *tractare*, 19 (106) penes quem et temporum ordo *digestus* ab initio supputationem saeculi praestitit; ad Nat. I. 3 (276) neque exquisitionem *digerendo* damnatoribus semper consulendam, sqq. I. 7 (291) Viderimus de fide istorum, dum suo loco *digeruntur*; I. 9 (296) quot pestes, fames, ignes, hiatus, motusque terrarum saeculum *digessit*? I. 11 (309) Is enim in quarta Historiarum suarum, ubi de bello Iudaico *digerit*, sqq. II. 1 (334) qui rerum divinarum ex omnibus retro *digestis* commentatus idoneum se nobis scopum exposuit. II. 9 (361) Haec secundum tripertitam dispositionem Varronis divinitatis aut notiora aut insigniora *digessimus*. II. 11 (370) quorum negotia *digesta*, sqq. Cf. Plin. 29. 2 (10). 37: reliquos suo loco usus *digeremus*; Treb. P. Claud. 1: in litteris *digerendus*; Vopisc. Aurel. 1: bella charactere historica *digesta*; Iust. praef. 3; Quinct. 11. 2. 37; 10. 7. 30; 11. 3. 114.

Dinumerare in c. Acc. = *enumerare*, 1 (8) *dinumerant* in semetipsos mentis malae impetus. Cf. *Rönsch*, I. u. V. pg. 360.

Discutere = *pellere*, *dissolvere* 5 (32) Quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri *discussam* contestatur.

Discutere = *inquirere* 4 (28) nulla lex vetat *discuti* quod prohibet admitti; ad Nat. I. 6 (283) verbi gratia homicidam, adulterum lege, *discutitur* tamen de ordine admissi; sqq. II. 1 (333) Denique si tantam perversitatem una praescriptione *discuti* liceret, sqq. II. 13 (387) Satius quae posterior opinio est *discuti* debet sqq. Invenitur haec altera significatio ap. Macrobium quoque et Chalcidium. Cf. *Goelzer*, lat. de St. Jér. p. 255.

Dispergere = *disiicere, irritum reddere, frustrari*: 5 (32) Sic ut non palam ab eiusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam *dispersit*.

Dispungere, quod proprie significat: *conferre accepta et data* (cf. Dig. 50. 16. 56.) invenitur ap. Tertullianum = *examinare, compensare*: 37 (193) si malum malo *dispungi* penes nos liceret, sqq. 44 (227) vestros enim iam contestamur actus, qui sententiis elogia *dispungitis*; 45 (231) nos qui sub deo omnium speculatore *dispungimur*. Cf. ad Nat. I. 2 (274) non statim confesso eo nomen homicidae *dispuncta* causa est aut satiata cognitio. In posteriore tantum latinitate id verbum invenitur. Cf. Sen. benef. 4. 32; Col. de re rust. 3. 3. 12; Vell. 1. 13. 3.

Dissipare = *abolere, disturbare* 9 (55) Alienati generis necesse est quandoque memoriam *dissipari*.

Donare = *dare*: 50 (262) Empedocles totum sese Catanensium Aetnaeis incendiis *donavit*. Cf. Scribon.: Compositiones medicamentorum ed. Bernhold B. 13.: *donentur* autem aquae purae supra medicamentum cyathi duo. *Rönsch*. I. u. V. pg. 385 et Semasiol. Beitr. z. L. W. pg. 32.

Educere se = *prodire*: 21 (130) Nam nec ille *se* in vulgus *eduxit*, ne impii errore liberarentur, sqq. Eadem ratione in archaica latinitate *ducere se* = *abire* invenitur: Plaut. Bacch. „alium illa amat non illum, *duc te* ab aedibus"; Aul. IV. 8. 8: „ego *me* deorsum *duco* de arbore"; cf. Asin. V. 2. 62: „tempus est *subducere* hinc *me*." Vide Cic. Fam. X. 32: „Balbus quaestor *duxit se* a Gadibus." Gloss: *duc te*, ὕπαγε. *Rönsch*: I. u. V. pg. 361.

Eliminare 6 (36) Liberum Patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo urbe, sed universa Italia *eliminaverunt*. Cf. Pacuv. ap. Non. p. 38. 31; Enn. ap. Non. p. 39. 4; Sidon. ep. 4. 10; ad Nat. II. 7 (355) Criminatores deorum poetas *eliminari* Plato censuit, sqq.

Enubilare habent multae editiones 35 (188) quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula *enubilabant*; id verbum

obviam habemus ap. Paullin. ad Cyther. 667 et Augustin. doctr. Chr. 4. 10. Cf. c. 47 (244) neque satis intellegentes, ut adhuc tunc *subnubila.*

Erogare = *interficere, extinguere, pessumdare, perdere,* ap. Tert. solum legitur: 44 (227) cum tot iusti impendimur, cum tot innocentes *erogamur.* 48 (268) non enim absumit quod exurit, sed dum *erogat,* reparat. Cf. *van der Vliet*: stud. Eccl. pg. 36, i. f. et ad Natt. I, 10 (307) super inquinamenta poenarum proinde saltant dei vestri argumenta et historias nocentibus *erogandis.*

Eruere ≐ *investigare, indagare, scrutari, rimari,* nostrum: *uitvorschen*: 2 (11) O quanta illius praesidis gloria, si *eruisset* aliquem, qui centum iam infantes comedisset. 3 (16) nisi fallor, leges malos *erui* iubent. 7 (38) de vestra vobis dissimulatione praescribitur non esse quod nec ipsi audetis *eruere.* Cf. ad Nat. I. 2 (275): Utique *erui* debuerunt, ne incredibilia viderentur et odium in nos publicum refrigesceret. I. 6 (284) Si quod est factum Christiani, *erui* debet. I. 16 (323) Semel plane *erui* potest de sacramentis nostrae religionis, opinor.

Est *c. Inf* = *ἔστιν, licet.* Cf. ea, quae supra de hoc verbo diximus et *Rönsch*: I. u. V. p. 204.—

Evigorare duobus tantum locis in Tert. scriptis adhibitum est: 17 (99) licet libidinibus et concupiscentiis *evigorata,* sqq:, et de Pall. 4. Cf. *Rönsch*: I. u. V. pg. 204.

Exancillari, *ἅπ. εἰρ.* 17 (99) licet (anima) falsis deis *exancillata;* sqq. *Rönsch*: I. u. V. pg. 204.

Exaperire = *interpretari,* 18 (104) Ita in Graecum stilum *exaperto* monumenta reliquit. Cf. August. Confess. 10.

Exclamare = *declamare* 39 (203) Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragoedia *exclamat.*

Excludere = *abrogare, irritum reddere* 4 (26) Nonne vanissimas Papias leges post tantae auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum *exclusit*? Cf. *Rönsch*: Sem. Beitr. p. 35.

Exhibere = *ostendere, prae se ferre, praebere*, de moribus usurpatum: 36 (190) Sed in his moribus quibus divinitas imperat tam vere quam circa omnes necesse habent *exhiberi*. Cf. de altera huius verbi significatione (= *alere, victum praebere, sustentare*) in posteriore latinitate *Rönsch:* I. u V. pg. 364.

Exorbitare, 6 (33) si a nullo desciverunt, si in nullo *exorbitaverunt*, sqq. 9 (53) certissimi scilicet inlicitum esse penes illos per quod *exorbitare* eos vultis; 20 (114) quod etiam officia temporum et elementorum munia *exorbitant;* 17 (95) qui diem Saturni otio et victui decernunt, *exorbitantes* et ipsi a Iudaico more, quem ignorant. Cf. ad Natt. I. 13 (314) Quod quidem facitis *exorbitantes* et ipsi a vestris ad alienas religiones. II. 2 (337) Quem non penitus admiserant neque nosse potuerunt neque timere nec inde sapere, *exorbitantes* scilicet ab initio sapientiae, id est metu in deum. Usurpatur hoc verbum a sequioris aetatis scriptoribus, e. g. ab *Iren.* V. 20. 1; *Cypr.* Ep. 1. 12; *Lactant.* Inst. II. 5. 12; *Aug.* Civ. 9. 3; 16. 8; Firmic. Mat. 6. 9; Sidon. Ep. 5. 16; 8. 11; *Rönsch.* I. u. V. pg. 204.

Expellere = *per vim exspuere*, 50 (264) Attica meretrix carnifice iam fatigato postremo linguam suam comesam in faciem tyranni *expellit*. (al. edd. *expuit.*)

Exponere = *contemptui exponere*, 9 (47) Tiberius qui eosdem sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus *exposuit*. Cf. *Rönsch:* I. u. V. pg. 364. 365.

Exprimere fauces = *strangulare*, 35 (187) Unde qui *faucibus* eius *exprimendis* palaestricam exercent?

Expungere = *solvere, satisfacere, exigere*, 2 (17) debito poenae nocens expungendus est; *Rönsch:* I. u. V. pg. 386.

Expungere = *perficere, explere*, 15 (86) ture flagrante libidinem *expungi* nescio. 20 (115) apud homines, si forte, distinguitur, dum *expungitur;* 21 (125) Duobus enim adventibus eius significatis, primo, qui iam *expunctus est* in humilitate con-

ditionis humanae. 35 (183) Cur enim vota et gaudia Caesarum casti et sobrii et probi *expungimus*? 48 (256) tunc restituetur omne humanum genus ad *expungendum* quod in isto aevo boni seu mali meruit; ad Natt. I. 7 (291) Haec cum *expunxeris*, vives in aevum. Cf. *Rönsch*. I. u. V. pg. 386.

Extendere per brachylogiam de canibus usurpatum pro funibus quibus canes sunt annexi: 8 (46) praeterea candelabra et lucernae et canes aliqui et offulae, quae illos ad eversionem luminum *extendant*.

Exuberare, 11 (64) Vani erunt homines nisi certi sunt omnem frugem de terra *exuberasse*. Cf. Verg. G. 2. 516: Nec requies, quin aut pomis *exuberet* annus aut fetu pecorum, sqq. Vide porro Verg. A. 7. 465; Tac. or. 30; Suet. Calig. 40; Val. Fl. 3. 234.

Fabulari 39 (208) ita *fabulantur*, ut qui sciant dominum audire. Invenitur id verbum: Plaut. Capt. 3. 4. 3. quid *fabulabor*? Merc. 2. 3. 30: quid fabulatur filius? Poen. 3. 4. 8: reliqua alia fabulamur; Truc. 1. 2. 80; Terent. Phorm. 4. 3. 49; Gell. 19. 13. 1; Suet. Aug. 74; Quinct. 11. 3. 131; Amm. 22. 16; Liv. 45. 39.

Famulare = *famulum facere*, δουλοῦν, 21 (126) Cum ille elementa ipsa *famularet* compescens procellas et freta ingrediens. 39 (207) non qua penes vos parasiti adfectant ad gloriam *famulandae* libertatis. *Rönsch*: I. u. V. pg. 155.

Ferocire gladio dicitur 5 (30) reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem Caesariano *gladio ferocisse*. Cf. de hoc verbo: Gell. I. 11. 2; Amm. 14. 9; 21. 12; Ap. Met. 9. pg. 218.

Figere *fiduciam* insolenter dictum = *firmare* 39 (200) Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, *fiduciam figimus*. cf. p. 136. *disciplinam densare*.

Flagrare transitive usurpatum = *inflagrare*, *incendere*: 46 (234): „in quantum *odium flagrat* veritas, in tantum qui eam ex fide praestat offendit.'' Habemus exemplum ap. Stat. Silv. V. 2. 119: novercales ibat venator in agros Ascanius

miseramque patri *flagrabat* Elisam. Cf. Liv. 10. 44. 2. *Rönsch*: Semas. Beitr. z. L. W. pg. 42.

Florere dicitur de lumine 11 (64) „Vani erunt homines, nisi certi sunt a primordio sidera radiasse et *lumina floruisse.*" Huius usus exempla praebet Oehl. ad Apol. 11: de Patient. c. 2: „Qui *florem lucis* huius super iustos et iniustos aequaliter spargit." De Idol. c. 18: „Qualis purpura de humeris eius *floreret?*" Adv. Marcion. IV. 42: „Ceterum adversario laeso caelum *luminibus floruisset*, magis sol radiis insultasset" sqq. Cf. Salmas. ad Tertull. De Pallio p. 119. Herald. ad Tertull. Apol. c. 11. et Digress. I, 7. p. 204 sq. Omnia quae propria sunt herbis et floribus, igni et luci tribuuntur. Cf. Verg. A. 7804. *florentis aere catervas.*

Frequentare = *frequenter usurpare* vel *appellare*: 22 (135) Omnes sciunt poetae, etiam vulgus indoctum in usum maledicti *frequentat.*

Frigere = *liberum esse, abstinere* 38 (197) At enim nobis ab omni gloriae et dignitatis ardore *frigentibus* nulla est necessitas coetus.

Fumigare: 42 (224) sciant Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari quam deis *fumigandis.* Cf. Varronem r. r. 3. 16. 17 „mellarius *fumigans* leniter alvos."; Colum. de r. r. 8. 5. 16; 9. 14. 7: hoc tempore decimo quoque die alvi aperiendae et *fumigandae* sunt.

Haurire = *percipere*: 15 (86) Hoc prius capite et omnem hinc sacramenti nostri ordinem *haurite*. cf. Liv. 27. 51; Verg. A. 12. 26; Ov. Met 13. 787; Horat. Sat. 2. 4. 95; Val. Fl. 1. 263; Burm. in Stat. Th. 1. 537.

Hiare in pro *inhiare* 9 (49) Quot vultis ex his circumstantibus et *in* Christianorum sanguinem *hiantbius* sqq.

Immolare insolita ratione usurpatur 6 (37) licet Baccho iam Italico *furias vestras immoletis.*

Impendere = *perdere* 44 (226) tot iusti *impendimur.*

Impingere = *irruere* 3 (19) Quid? Quod ita plerique clausis oculis in odium eius *impingunt?* Ibidem (20) caecitate

odii in suffragium *impingunt:* sqq. 9 (55) et simul error *inpegerit,* sqq. Cf. ad Natt. I. 4 (279) At nunc necessario ignorando sectam quia ignoratis auctorem, aut non recensendo auctorem, quia nec sectam recensetis, in solum nomen *inpingitis.*

Imprimere = *sancire* 5 (33) „leges", quas nullus Pius, nullus Verus *impressit.*

Incutere *infamiam* insolenter dicitur 21 (131) nemo iam *infamiam incutiat.*

Indicere = *postulare, flagitare* 28 (169) nam et alias divinae rei faciundae libens animus *indicitur.*

Inducere 3 (22) Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis *inducit?* 16 (91) Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce *induci.* (i. e. *Plastae de cruce in deorum simulacris fingendis initium faciunt.*). Cf. de Anima c. 3: ceteris hinc exordium *inducam.*

Induere *deum,* 15 (84) nisi quod et ipsos deos vestros saepe noxii *induunt*; c. 16: „qui vivus ardebat, Herculem *induerat.*" Eadem ratione, idque pluribus locis, a Tacito hoc verbum usurpatum reperitur; ex. gr. Tac. A. 16. 28: *induere proditorem*; Claudian. Cons. Hon. 3. 157: *indue mente patrem*; Mart. 2, 41: *induere vultus severos.*

Infamare = *infamiam incutere* 23 (141) „Porro si et magi phantasmata edunt et iam defunctorum *infamant* animas, sqq." — Non est verisimile quod suspicatus est Wölfflinus pro „*infamant*" hoc loco esse legendum „*infimant.*" (Archiv II. 361: wenn wir es zunächst bei Tertullian suchen, so werden wir es in unsern Texten zwar nicht finden, wohl aber dürfte es hier und da unter einem verdorbenen *infamare* stechen. So vielleicht Apol. 23. „*si magi phantasmata edunt et iam defunctorum manes infamant,*" denn die Magie machte sich anheischig, die Seelen aus der Unterwelt herauf zu beschwören, nach *de Anima* 57: „*magia animas evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur.*") Quamquam nemo negaverit verbum *infimare* sermoni T. plane aptum esse et accommodatum, confitendum erit, hoc loco si scriptum esset, sensui prorsus

contrarium futurum fuisse: magia enim manes evocat ex inferis, *sublimat* manes, *non infimat*, i. e. *ad inferos demittit, deprimit.* Cf. locum Apulei ab ipso Wölfflino allatum: „*manes sublimare, deos infimare.*" — Cf. ad Nat. I. 5 (283) seducunt nomen professionis praestantia qui superficie vocabuli *infamant* veritatem. II. 7 (352) Ecce vos cum eadem licentia praesumptionis sepulchris regum vestrorum caelum *infamatis*, sqq.

Infigere = *confirmare* 48 (249) Nonne consensum movebit et fidem *infiget* etiam ab animalibus abstinendi? Cf. supra: *figere.* Plin. ep. 1. 20. 2; 1. 20. 18; Quinct. 9. 4. 134; 11. 3. 111; 9. 2. 26; Amm. 27. 3; Tac. A. 15. 5: infixum est mihi = certum est mihi, stat mihi (sententia).

Infrendĕre pro „*infrendēre*" 12 (71) O impiae voces, o sacrilega convicia! *infrendite*, inspumate! cf. Verg. A. 3. 664 dentibus infrendere; Amm. 16. 12; 12. 11.

Infringere = *debilitare* 35 (183) Cur die laeto non laureis postes obumbramus nec lucernis diem *infringimus?*

Inhonorare vox est Tertulliana et nonnullis locis reperitur, idem significans quod: *non honorare, honore privare.* 13 (75) legitur in Fuld.: quid omnino ad *inhonorandos* eos facitis; (Oehlerus dedit: *ad honorandos eos.*) Cf. Hier. Orig. in Jerem. hom. 9. col. 832: quomodo castus glorificet, luxuriosus *inhonoret* Deum. — Vide C. Paucker. Z. f. Öst. Gymn. 1875 p. 173. Rönsch: I. u. V. p. 194.

Iniicere = *opponere, obiicere* 23 (146) Quid autem *iniici* potest adversus id quod ostenditur nuda sinceritate?

Inire breviter dictum pro: *rationem inire* 42 (224) Si *ineatur* quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum.

Inolescere usurpatur insolita ratione 40 (214) dehinc quod non inquirendo innocentiae magistrum et nocentiae iudicem et exactorem omnibus vitiis et criminibus *inolevit.* Cf. de hoc verbo Verg. Georg. 2. 77: „huc aliena ex arbore germen Includunt udoque docent inolescere libro." Sil. 8. 583; Auson. ep. 141; Gell. 12. 5. 7; Macrob. Sat. 5. 11.

Inquietare (παρενοχλεῖν) = *turbare*, 15 (84) si honorem *inquietant* divinitatis; 38 (197) quae res spectacula etiam aemulis studiorum compulsationibus *inquietaret*. Cf. ad Nat. I. 10 (308) Singula ista quaeque adhuc investigare quis possit, si honorem *inquietant* divinitatis, sqq. Vid. porro de hoc verbo: Petron. I. 100; Suet. Calig. 26; 55; 59; Nero 34; Tac. Hist. III. 84; Plin. Ep. 1. 9; 9. 15; Senec. Ep. 2. 1; Dig. III. 1. 1. 5; XI. 7. 39; Rönsch. I. u. V. pag. 165.

Inrumpere = *aggredi* 3 (19) Laudant quae sciunt, vituperant quae ignorant, et id quod sciunt eo quod ignorant *inrumpunt*. Cf. *inpingo*.

Inscribere = *tribuere* 21 (122) Et nos autem sermoni atque rationi itemque virtuti propriam substantiam spiritum *inscribimus*. Cf. 50 (266) et tamen illis omnibus et statuas defunditis et imagines *inscribitis*. (i. e. *imagines eorum conficitis et inscriptionibus honorificis ornatis*. Cf. *inscribere alicui librum*.)

Inserere, *quod poprie dicitur de surculo arboris in alienam arborem immittendo, insolenter de suspicione usurpatur* 16 (87) Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi dei *inseruit*.

Inspumare ἅπ. εἰρ. est. 12 (71) infrendite, *inspumate*.

Intelligere = *accuratam scientiam alicuius rei habere* 12 (71) Igitur si statuas et imagines frigidas mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi et mures et araneae *intelligunt*. 30 (174) Recogitant, quousque vires imperii sui valeant, et ita Deum *intelligunt*.

Intercipere = *occidere* 25 (160) pro salute imperatoris Marci iam *intercepti*. Ad Nat. II 6 (350) Age iam, conceditisne divinitatem non modo non serviliter currere, sed inprimis integre stare neque minui neque *intercipi* neque *corrumpi* debere. Vide Quinct. 1. proöem. 6 „me fata *interceperunt*"; Just. 37. 1. 6: „*interceptus* repentina morte." Quinct. 10. 1. 12 *interceptus* = *mortuus*.; Suet. Caes. 20 alqm veneno *interc.*; Id. Claud. 1; Nero, 35; Plin. ep. 6. 25. 4; Tac. Agric.

43; Aur. Vict. 3. 3; cf. Auct. de or. gent. Rom. 14. 2: *interceptus* Aeneas nusquam comparuit.

Interficere de re inanimi dicitur 48 (254) Lux cotidie *interfecta* resplendet.

Interhiare ἅπ. εἰρ. est. 48 (256) Cum ergo finis et limes, medius qui *interhiat*, adfuerit.

Intervertere = *corrumpere, interpolare* 47 (246) nec mirum, si vetus instrumentum ingenia philosophorum *interverterunt*.

Introire in saeculum inusitate pro „*innotescere*" dicitur 5 (29) Tiberius, cuius tempore nomen Christianum *in saeculum introivit*.

Inundare = *implere* 18 (100) viros enim emisit, spiritu divino *inundatos*.

Invehere contra bonum usum usurpatur 30 (171) caelum captivum triumpho suo *invehat* imperator.

Irrufare. 22 (140) barbam tactu *inrufatam*; cf. Hier. Ep. 107. 5 : cave ne . . . capillum *irrufes*. Rönsch : I. u. V. pg. 205.

Iudicare = *damnare, condemnare* : (18 101) qui *iudicaturus sit* profanos in ignem; 49 (260) Sed in eiusmodi enim, si utique (= *wenn überhaupt*), *inrisui iudicandum est*. (Dativ. „*veroordeelen tot.*" Cf. de Corona 15 (O. I. pg. 456) Quid caput *strophiolo* aut *dracontario damnas*, diademati destinatum? Scorpiace, 10 (O. I. pg. 521) Neque enim si vita vitiata est, ut *despectui iudicata* despectis compararetur, sqq. Quae exempla Oehl. ex Livio et Gellio adfert habent Genetivum.) Absolute: 47 (247) Itaque ridemur praedicantes deum *iudicaturum*.

Iudicare = *vindicare, punire* 14 (78) Est et ille de lyricis (Pindarum dico) qui Aesculapium canit avaritiae merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine *iudicatum*.

Iudicare de se = *sibi mortem consciscere* 4 (25) Non enim et ipsius Lycurgi leges a Lacedaemoniis emendatae tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu inedia *de semetipso iudicarit*? — cf. c. 46 (238) Lycurgus *apocarteresin* optavit.

Iudicare aliquem = *iudicare de aliquo*, 4 (26) sed et

iudicatos in partes secari a creditoribus leges erant. (*iudicatus* = *is, de quo est iudicatum*). Ad Nat. I. 2 (273) In quo ipsi etiam contra formam *iudicandorum* malorum iudicatis. Ap. 44 (227) Vestros enim iam contestamur actus, qui cotidie *iudicandis* custodiis praesidetis, qui sententiis elogia dispungitis.

Latrare 46 (223) plerique etiam in principes *latrant* sustinentibus vobis.

Ministrare=*gubernare, ministro uti* 2 (15) Suspecta sit vobis ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto, quae vos adversus formam, adversus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges *ministret*. V. Rönsch: Semasiol. Beiträge z. L. W. pg. 59.

Miscere insolenter dicitur 42 (221) Navigamus et nos vobiscum, vobiscum et militamus et rusticamur et *mercatus* proinde *miscemus*. (i. e. *vobiscum mercamur*.) 47 (244) per quod *in incertum miscuerunt* etiam quod invenerant certum. (i.e. turbarunt ut incertum fieret).

Miscere praeterea apud Ecclesiae scriptores adhibetur ut duas Christi naturas confusas indicet, conveniens cum Graeco: κρᾶσις, quod vocabulum apud Graecos patres reperitur. 21 (124) nascitur Homo Deo *mistus*. Cf. Cyprian. de idol. van. II; orig. contra Cels. 3.41; Lactant. 4.13; S. Athan. Orat. c. Ar. 4,33; contra Apol. 2.16; August. Ep. 137.11; S. Greg. Naz. Ep. 101.10; S. Greg. Myss. Cat. 27; S. Leo Serm. 23.1.

Mussitare 11 (68) Properavit, opinor, et caelum semel clusit, et nunc utique melioribus apud inferos *mussitantibus* erubescit; cf. de hoc verbo, a comicis frequenter adhibito, Plaut. Mil. 3. 1. 119; 3. 5. 65; Cas. 3. 5. 33; Truc 2. 2. 57; Terent. Ad. 2. 1. 53; App. mag. p. 544; Liv. I. 50; Hier. Ep. 71. 1: „ut mecum tacitus *mussitarem*."

Mutare a puriore usu alienum invenitur 20 (114) quod humiles sublimitate, sublimes humilitate *mutantur*. Cf. Hor. Od. I. 34.12; I. 16.26; Ep. I. 1.100; Plin. Ep. V. 16.

Nepotari 46 (240) Aristippus in purpura sub magna gravitatis superficie *nepotatur*. Invenitur hoc verbum apud Senecam, Benef. I. 15.1; cf. Rönsch: I. u. V. p. 161.

Obducere = *refellere, convincere* 46 (242) Sed dum unicuique manifestatur veritas nostra, interim incredulitas, dum de bono sectae huius *obducitur* sqq.; = *culpae coargui* 50 (261 et 262) Sed *obducimur*; certe cum obtinuimus: ergo vicimus, cum occidimur. Denique evadimus, cum *obducimur*. Cf. Oehler. ad Apol. 46 (I p. 280); Rönsch: I. u. V. p. 387.

Obsoletare apud Tert. solum invenitur 15 (84) singula ista quaeque adhuc investigare quis posset, si maiestatis vestigia *obsoletant?* Cf. Gloss. Arabico—Lat. ap. Vulcan. p. 708: „obsolito, obtero vel inquino;" Glossa Isidori p. 689 Vulc.: „obsoletatus, pollutus, inquinatus."

Obstruere insolenter adhibitum obviam est α. *intrans.* 1 (3) si denique, quod proxime accidit, domesticis iudiciis nimis operata infestatio sectae huius *obstruit* defensioni: sqq. β. *trans.* 4 (23) postremo legum *obstruitur* auctoritas adversus eam.

Occupare oculis dicitur 17 (98) ceterum quod videri potest minus est oculis quibus *occupatur.*

Occurrere = *petere* 45 (231) Enimvero nos merito soli innocentiae *occurrimus.* Cf. de eius verbi usu Vulg. Eph. IV. 13; Phil. III. 11.

Oculare = *oculis instruere,* 21 (133) qui iam expolitos et ipsa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis *ocularet.* Cyprianus, de Idol. Van. 7: ignaros ad agnitionem veritatis *oculare.* Apul. Mag. 63; Hier. in Eccl. 7. col. 444: „novit hirundo pullos de sua oculare chelidonia." Rönsch I. u. V. p 161.

Offerre = *denuntiare, accusare,* 2 (13) Tunc Traianus rescripsit hoc genus inquirendos quidem non esse, *oblatos* vero puniri oportere; 44 (227) aut cum Christiani suo titulo *offeruntur,* quis ex illis etiam talis quales tot nocentes?

Officium facere alicui = *demerere* 25 (158) ut praeter ceteros floreant qui *illis officium* praeter ceteros *faciant.*

Onerare = *accusare, damnare,* 1 (5) quam iniquitatem idem titulus *onerat.* Cf. ad Nat. I. 2 (274) Credo, non vultis *oneratos* quos omni opere perditos vultis, sqq. I. 10 (299) Quo magis *oneramini* credentes esse et contemnentes, colentes

et despuentes, honorantes et lacessentes! — Vide Tac. A. 4. 68 *onerare* Seianum.

Operari, 1 (3) domesticis iudiciis nimis *operata* infestatio, sqq. C. 40: balneis — *operantibus*. C. 47: *operantibus* aemulationem istam spiritibus erroris. *Operari* ap. Tert. (ex. gr. Idol. 23) significationem quoque habet *bene faciendi alicui*, *beneficia conferendi in aliquem*. Rönsch: I. u. V. p. 387.

Oppandere, 16 (89) et conspectus ceterorum velo *oppanso* interdicebatur. Cf. c. 48: aulaei vice *oppansa*. Invenitur id vocabulum apud Grat. Cyneg. 55 „adflatus Helices *oppande* serenae"; Prudent. psych. 410 „cornibus *oppansis;* Hier. in Gal. I. ad 1, 11 sq. „velum *oppansum erat.*"

Optare = *sibi eligere*, 46 (238) Lycurgus apocarteresin *optavit*.

Ostendere = *probare*, absolute positum habemus 9 (57) Sic per omnia *ostendam*.

Pascere fidem insolenter dicitur 39 (203) Certe *fidem* sanctis vocibus *pascimus*.

Pati aliquid = *affici*, *habere*, *sortiri*, *experiri* 17 (99) „anima" sanitatem suam *patitur* (h. e. *sanitate afficitur; sanitatem quae ei natura propria est recuperat*. 21 (120) deum patrem non de sororis incesto nec de stupro filiae aut coniugis alienae *passus est* (h. e. *habuit*, *sortitus est*.). Cf. Plaut. Asin. 2. 2. 58: fortiter malum qui *patitur*, idem post *patitur* bonum."

Patrocinari (*alicui ad aliquid*) 18 (103) *quibus* aut vetustas aut curiositas aliqua *ad famam patrocinabatur* (h. e. *famam procuravit; famam dedit*). Cf. Ter. Phorm 5. 7. 46; Plin. 14. 22 (28), Quinct. 2. 4. 23; Tac. de or. 10; Dig. 2. 11. 2.

Patrocinari simpliciter usurpatum est pro: *protegere*, *adiuvare* 6 (35) circa feminas quidem etiam illa maiorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae sobrietati *patrocinabantur*.

Performare, 1 (8) quanti enim ad malum *performantur!* (Fuld. *reformantur*.)

Perfundere vox poetica est et non nisi in posteriore oratione soluta reperitur, 1 (8) omne malum aut timore aut pudore natura *perfudit;* 40 (213) quum Volsinios de caelo, Pompeios de suo monte *perfudit* ignis.

Perseverare insolita ratione adhibetur 9 (47) Sed et nunc in occulto *perseveratur* hoc sacrum facinus (= *perseveranter committitur*). Cf. Justin. XII. 6; Symmach. Epp. I. 90 et X. 73; Firm. Mat. Math. V. 2.

Pignerare = *pignori dare* 13 (73) Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis, *pignerando*, venditando sqq. Cf. Liv. 29. 36 „bona tantum, quae publicari poterant, *pigneranda* poenae praebebant." Suet. Vit. 7; Iuv. 7. 73; Dig. 40. 5. 46; cf. Apol. 6 (35) „digitus", quem sponsus *oppignerasset* pronubo anulo. Sua propria significatione praeditum „oppignerare" etiam usurpatur a Martial. II. 57. 7: „anulum opp."

Ponere *cervicem* est quod Graeci dicunt: κεφαλὴν ἀποτίθεσθαι; 12 (69) „*cervices ponimus.*"

Ponere = *aedificare, construere, instruere* 48 (253) Dubitabitur, credo, de dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo quod non fuerat non minus quam de morte vacationis et inanitatis sibi *posuit.*

Postumare = *aetate minorem esse* apud Tertullianum solum legitur duobus locis, quorum unus est 19 (109) ceteri quoque prophetae etsi Moysi *postumant.* Cf. Rönsch: I. u. V. pg. 173. Wölfflin: die Verba desuperlativa, Archiv II. 362.

Praecipitare = *interficere* 22 (137) si fruges nescio quod aurae latens vitium in flore *praecipitat.* Cf. Liv. 22. 12 rem publicam *praecipitare.* Vell. 2. 49. 1; Cels. 2. 10; Plin 16, 36 (65).

Praefari = *prophetare,* 18 (102) prophetae de officio *praefandi* vocantur; 20 (114) unum tempus est divinationi futura *praefanti.* Cf. de hac significatione Catull. 64. 383; Liv. 22. 1.

Praefari = *praedicare, verkondigen,* 14 (79) Nec tragici quidem aut comici parcunt, ut non aerumnas vel errores domus alicuius dei *praefentur.* 20 (114) *unum tempus est futura*

praefanti. 23 (144) *qui anhelando praefantur.* cf. ad Nat. I. 10.

Praegustare *orationem, promulsidis vel gustationis instar adhibere* 39 (208) non prius discumbitur quam *oratio* ad deum *praegustetur.* Cf. Ov. am. 1. 4, 33; Plin. 21. 3 (9); Iuven. 5. 632; Phaedr. 4. 23. 4; Plin. 27. 9. (55).

Praeminari, 21 (119) „cum haec illis sanctae voces praeminarentur", quod verbum praeter Tert. usurpat App. quoque Met. 5. pag. 167. 8; 8. p. 211. 11.

Praeministrare = *suppeditare,* qua significatione ornatum apud Tert. solum id verbum in usu est; 21 (124) qui penes vos eiusmodi fabulas aemulas ad destructionem veritatis istius modi *praeministraverint.* Cf. ad Nat. I. 7 (290) Tamen postea cognoscant necesse est vel aliis quos inducunt *praeministranda.* II. 3 (339) Igitur quod elementa contineat mundus iste, ut summaliter tractem de universitate, partibus eius *praeministrans* (*h. e. ante ministrans, ante ministerium exhibens.*) Cf. porro Ad Uxor. I. 2 „Igitur per licentiam tunc passivam materiae subsequentium emendationum *praeministrabantur.*" Simpliciter pro „*ministerium exhibere,*" De Baptismo, 11: „semper is dicitur facere, cui *praeministratur.*"

Praescribere = *exceptione perimere adversarii intentionem, pro exceptione statuere, constituere normam, quae calumnias excludat.* 7 (38) De vestra vobis dissimulatione *praescribitur* non esse quod nec ipsi audetis eruere. 4 (24) Non licet esse vos! et hoc sine ullo retractatu humaniore *praescribitis,* sqq. 47 (247) Expedite autem *praescribimus* adulteris nostris illam esse regulam veritatis quae veniat a Christo. Cf. ad Nat. I. 3 (277) *Praescribitur* enim vobis non posse crimina obiicere quae neque institutum dirigit sqq. I. 20 (332) Quodsi *praescribitur* vobis errorem amare et odisse veritatem, cur quod amatis et odistis non noveritis? Cf. adv. Praxean c. 20 (O. II. pg. 679) Regula autem omni rei semper ab initio constituta in prioribus et in posteriora *praescribit,* utique et in pauciora. De Carne Christi 4 (O. II. pg. 432) tua, opinor, illi censura *praescriberet* sqq. De Fuga in persec. 1 (O. I. pg. 462) Satis

est quidem *praescribere* nihil fieri sine dei voluntate. De Resurr. carnis 57 (O. II. p. 544) *Praescribens* enim adhuc easdem passiones obituram carnem, sqq. Adv. Iudaeos 3 (O. II. p. 705) Consideremus itaque quod non potuerit unius infantis coacta circumcisio omni populo *praescribere* sqq.

Substantivum „*praescriptio*" = *praescriptum*, *lex* reperitur ad Natt. I. 12 *praescriptio* naturalis.

Praescriptio = *clausula qua reus adversarii intentionem oppugnat*, *exceptio*, *defensio:* ad Natt. II. 1 (333) Denique si tantam perversitatem una *praescriptione* discuti liceret, sqq. II. 12 (384) Tenemus compendium, in ceteros originis *praescriptionem*, ne per singulos evagemur.

Praestringere = *obiter tangere*, *memorare* 13 (72) nam ut supra *praestrinximus*, sqq. *Praestringere* = *contingere* 41 (219) Sed etsi aliqua nos quoque *praestringunt* ut vobis cohaerentes, sqq.

Praestruere 35 (188) quam recentissimis et ramosissimis laureis postes *praestruebant*, sqq. 47 (241) antiquior omnibus veritas, nisi fallor, et hoc mihi proficit antiquitas *praestructa* divinae litteraturae. (*praestructa* = *ante argumentis firmata*). Ad Natt. II. 3 (339) aeque demonstrando elementa deos non esse ad illam agnatorum speciem *praestruemus* recte deos non esse defendi quorum parentes, id est elementa, dei non sunt. II. 12 (383) Adhuc de Saturno immorabor quo et ceteris compendium *praestruam*.

Praesumere = *antea opinari*, *coniicere*. 2. (14) Cum *praesumatis* de sceleribus nostris ex nominis confessione. 16 (88) Atque ita inde *praesumptum* opinor nos quoque ut Iudaicae religionis propinquos eidem simulacro initiari. 21 (116) Verum neque de Christo erubescimus, cum sub nomine eius deputari et damnari iuvat, neque de deo aliter *praesumimus*. Cf. Tac. A. 12. 41: fortunam utriusque *praesumere;* Iust 6. 2: graviorem militiam *praesumere;* App. Met. 7. p. 200. 8 se innocentem *praesumere;* App. Met. 5. p. 172. 2: *praesumis* te solum generosum nec me posse cet.; cf. Dig. 31. 1. 67; 48. 10. 18.

Praeteresse alicui rei = *non adesse, alienum esse ab aliqua re, praetermittere, abstinere, renuntiare,* ἅπ. εἰρ. est. 38 (197) Cum et ipsis rebus de quibus transiguntur, *praetersumus.*

Praevaricari = *transgredi,* παραβαίνειν, *peccare* 2 (17) *Praevaricaris* in leges; cf. Rönsch: I. u. V. pg. 377; *praevaricare aliquid* = παραβαίνειν habet Augustin. tract. in Ioann. 99.; cf. Hier. c. Pelag. III. 6: aut scivit Deus hominem in paradiso positum *praevaricaturum* esse mandatum illius aut nescivit; cf. Rufin. Orig. in ep. ad Rom. II. 13: custodit legem is qui eam secundum litteram observat, et is *praevaricatur* eam, qui spiritualem eius non tenet sensum. Rönsch. N. T. T. 695; Goelzer, lat. de St. Jér. p. 237.

Substantivum „*praevaricatio*" = *peccatum* obviam est ad Natt. II. 14 (394) cupiditatem et avaritiam lucri vindicatam, qua quidem ille vivos ad mortem, non mortuos ad vitam *praevaricatione* venalis medicinae agebat.

Praevenire, 19 (109) „Moyses" quadringentis paene annis nam et septem minus Danaum *praevenit.* (= *aetate praecedere*). Cf. c. 21: „*praevento* carnificis officio." *Praevenire* = *superare, praestare, antecellere* legitur apud Col. 3. 2. 14: vites fecunditate *praev.;* Plin. 16. 26: germinatione arbor *praevenit.*

Procedere = *fieri* 13 (72) praelatio alterius sine alterius contumelia non potest *procedere.*

Prodigere = *peragere* edidit Havercampius ex coni. Heraldi 18 (101) ut qui *prodacto* (codd. *producto;* λ. *peracto*) aevo isto iudicaturus sit suos cultores in vitae aeternae retributionem. Oehl. I. pg. 285 plura huius verbi exempla collegit. Cf. adv. Marc. V. 6 (O. II. pg. 290) paene iam totis saeculis creatoris *prodactis,* sqq. ubi duo Cdd. Vatic. habent: *productis.*

Prodigere in nihilum insolenter dicitur 48 (255) quaecumque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, *in nihilum prodegerit.*

Profligare = *impendere, insumere, pessumdare, prodigere* 42 (224) sciant Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis *profligari* quam deis fumigandis.

Promereri = *conciliare sibi aliquem, benevolum facere aliquem*, 21 (117) unde illis tanta felicitas, ut de dei vocibus, quibus edocebantur, de *promerendo* deo et non offendendo praemonerentur. 24 (152) Et tamen quod facinus admittit qui magis ad Caesarem *promerendum* et opera et spem suam transfert. Cf. Cyprian. orat. 5: „*promerebatur* deum". Aug. Civ. I. 13 „deum *promeruisse.*" Ib. XXI. 27 „qui *promeruerunt* alios eosque sui memores *promerendo* fecerunt." Arnob. VII. 23 „*promereri* .... per hostias deos laevos." Apul. Met. 113 „Cupidinem .... percole et .... blandis obsequiis *promerere.*" Ibid. 125 „sedulo ministerio amatores .... *promereri.*" Id. 258 quodsi sedulis obsequiis .... numen nostrum *promerueris.*" Macrob. Sat. II. 7. pg. 351: promeruit eum non minus salibus .... quam forma; Suet. Oct. 3; Plin. Paneg. 62. 7; Hier. Ep. 120.10: ut vel *promererentur* Deum vel offenderent; Rönsch I. u. V. p. 377; Semasiol. Beitr. z. L. W. pg. 68; Goelzer, lat. de St. Jér. pg. 309.

Promovere insolita ratione usurpatur 1 (7) nec tamen hoc ipso modo *ad* aestimationem alicuius latentis boni *promovent animos*. Cf. ad Nat. I. 1 (271) = Apol. 1 (7).

Promulgare = *docere, cognitum facere*, 10 (60) Saturnum itaque, si quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus aut Thallus neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos neque ullus commentator eiusmodi antiquitatum aliud quam hominem *promulgaverunt*; 11 (65) „Lucullus", qui primus cerasia ex Ponto Italiae *promulgavit.* — Exstat perpetua confusio inter *promulgare* et *provu(o)lgare*; Natt. II. 16 (399) in loco simili legitur: *provolgare.* — Cf. Plin. 27. 3 (2) sed maiores aconitum misceri saluberrime *promulgavere.*

Pronuntiare 46 (233) Plerique etiam in principes latrant sustinentibus vobis, et facilius statuis et salariis remunerantur quam ad bestias *pronuntiantur.*

Propitiare = *adorare placandi causa, venerari*, 16 (89) „cum lignum aliquod *propitiatur*, viderit habitus, cum materiae qualitas eadem sit." Apud antiquioris et posterioris tantum aetatis

scriptores id verbum invenitur = *placare*; cf. Pacuv. ap. Non. p. 111. 20; Curt. 4. 13. 15; 4. 7. 24; Suet. Galba 7; Tac. Ann. 15. 44; Prudent περὶ στεφ. 3. 215; Amm. 19. 12; 16. 12; 31. 2; App. Met. 2. p. 119. 17.

Prosecare = *sacrificare*, 9 (48) maior aetas apud Gallos Mercurio *prosecatur;* 46 (234) gallinaceum *prosecare* Aesculapio. — Locus similis librorum ad Natt. II. 3. habet *secare*. — Cf. de hoc sacrorum vocabulo Drakenborch. ad Liv. XXV, 16. Buenem. ad Lactant. Inst. Div. III, 20 et IV, 27.

Prosperare 6 (36) Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus utique *prosperata;* cf. Hor. carm. saec. 18; Tac. Hist. 4. 53; Ann. 3. 56; Amm. 18. 6; Plaut. Cas. 5. 4. 26; Pers. 2. 3. 11; Val. Max. 7. 2. 5.

Prostare = *in conspectu omnium stare*, 16 (90) Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, et Ceres Pharia, quae sine effigie rudi palo et informi ligno *prostat.*

Provocari *ad tribunalia* = *vocari*, *citari*, 50 (260) Proelium est nobis quod *provocamur ad tribunalia*, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus.

Publicare, 42 (221) operas nostras *publicamus* usui vestro. Cf. ad Nat. I. 16 (320) Quotcunque adulteria, quotcunque stupra, quotcunque *publicatae* libidinis errores, sqq.

Pulsare 9 (50) Quot vultis ex his circumstantibus et in Christianorum sanguinem hiantibus, ex ipsis etiam vobis iustissimis et severissimis in nos praesidibus apud conscientias *pulsem*, sq.? 20 (114) Eaedem voces sonant, eaedem litterae notant, idem spiritus *pulsat*, unum tempus est divinationi futura praefanti; sqq.

Purgare insolenter adhibetur 2 (10) Sed Christianis solis nihil permittitur loqui quod causam *purget*, sqq. 6 (38) ut viam mihi ad manifestiora *purgem*. 21 (126) Cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret, caecos reluminaret, *leprosos purgaret.*

Radiare, 11 (64) Vani erunt homines, nisi certi sint, a

primordio et pluvias de caelo ruisse et *sidera radiasse* sqq. Cf. ad Nat. I. 4. pg. 281 si et mali de suo malo *radiant*. (A a, rabiant.) h. e. *siquidem etiam mali de malo insignes fiunt atque manifestantur.*

Rarescere tantum invenitur 20 (114) quod iustitia *rarescit*, iniquitas increbescit, providenter scripta sunt. Cf. Amm. 22. 15. i.f. „ibis efficit, ut *rarescant* mortiferae pestes." Cf. Amm. 26. 3. pr.

Rebellare, 27 (168) Itaque cum vice *rebellantium* ergastulorum sive carcerum sqq.

Reciprocare, 48 (251) Si quaecumque ratio praeest animarum humanarum *reciprocandarum* in corpora. Cf. ad Nat. II. 5 (350) „memoria *reciprocatorum*" (*Reciprocata* vocat *repetitos cursus in orbem, repetita officia*).

Recitare, 2 (18) Denique qui de tabella *recitatis* illum Christianum, sqq.

Recogitare 45 (230) *Recogitate* ea etiam pro brevitate supplicii cuiuslibet, sqq. 48 (252) *Recogita* quid fueris antequam esses: utique nihil; sqq.

Recognoscere = *cognoscere*, 3 (22) ideoque ante odium nominis competebat prius de auctore sectam *recognoscere* vel auctorem de secta; 4 (27) et ideo cum iniquae *recognoscuntur*, merito damnantur, licet damnent; 17 (99) Et haec est summa delicti nolentium *recognoscere* quem ignorare non possunt; 37 (191) nam de isto ipsi *recognoscite*; 39 (200) Coimus ad litterarum divinarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut *recognoscere*. Cf. ad Natt. I. 2 (274) dum *recognoscitur* quot quisque iam convivia illa celebrasset, sqq. I. 10 (298) Ecce enim per omnia vitae ac disciplinae corruptam, immo deletam in vobis antiquitatem *recognosco*. I 10 (299) Licet etiam hinc *recognoscere* inprimis: sqq. I. 15 (316) Vos, si de memoria abierunt, quae caede hominis quaeque infanticidiis transegistis, *recognoscetis* suo ordine; I. 16 (318) nos vero etiam in tenebris scelera nostra *recognoscere* possumus. II. 9 (363) Nos

vero bifariam Romanorum deos *recognoscimus*, communes et proprios, sqq.

Reddere testimonium satis insolenter dicitur 14 (80) rescissa damnatio *testimonium* Socrati *reddidit*, i.e: *Socratem innocentem fuisse ostendit.*

Referre vicem, 37 (191) Item si laesi *vicem referre* prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus laedere? Cf. infra: *repensare.* Ov. a. a. 1. 370, ut puto, non poteris ipsa *referre vicem.*

Reformare = *mutare, transformare, transfigurare, sanare*, 48 (251) Multis etiam iocis ex otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, quis in quam bestiam *reformari* videretur. Cf. 47 (246) sic et de animae statu, quam alii divinam et aeternam, alii dissolubilem contendunt, ut quis sensit, ita et intulit aut *reformavit.* Ad Natt. I. 4 (281) mulieri non permisit in melius *reformari.* V. Val. Max. 5. 5 : cum Themistocles ruinas patriae in pristinum habitum *reformaret*; Dig. 49. 1. 1 : sententias in peius *reformare*; App. Met. 9. p. 217. 27 dispositio fatalis divinae providentiae reformari non potest.

Reformare = *de novo formare* 48 (255) omnia de interitu *reformantur.*

Reluminare, 21 (126) cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret, caecos *reluminaret*, sqq. Tribus tantum locis hoc verbum in Tert. scriptis reperitur et legitur etiam ap. Paulin. Nol. ep. 30. 4.

Remunerare, 46 (233) Plerique etiam in principes latrant sustinentibus vobis, et facilius statuis et salariis *remunerantur* quam ad bestias pronuntiantur.

Renuntiare = *repudiare, abdicare*, 38 (197) Aeque spectaculis vestris in tantum *renuntiamus* in quantum originibus eorum, sqq.

Repensare = *compensare aliquid cum aliqua re, par pari referre*, 37 (192) Quid tamen de tam conspiratis umquam denotastis, de tam animatis ad mortem usque pro iniuria *repensatum.* Cf. Col. 3. 2. 15; Vell. 2. 12. 5 bona malis rep. ;

2\. 21. 4 voluptatem damno rep.; Sen. de ira 2. 32 merita meritis rep.; cf. Rönsch. I. u. V. pg. 215.

Repercutere = *iterum percutere, reiicere, refutare.* 15 (86) Hoc prius capite et omnem hinc sacramenti nostri ordinem haurite, *repercussis* ante tamen opinionibus falsis. 41 (218). Hoc, inquitis, et in deum vestrum *repercutere* est, si quod et ipse patiatur propter profanos etiam suos cultores laedi. V. ad Nat. II. 7 (353) imagines detrahitis, monetam *repercutitis?* Cf. *retundere* = *refellere.* Quinct. 6. 3. 23; 6. 3. 45. Plin. praef. 31; 28. 4. 7; Amm. 15. 4 i. f. cum obiectu turmarum hostilium *repercussi* (scutarii) stetissent.

Inrepercussus apud Tert. ἅπ. εἰρ. est; 16 (97) Haec ex abundanti, ne quid rumoris *inrepercussum* quasi de conscientia praeterissemus.

Repraesentari = *revelari, manifestari,* 16 (88) Et utique si id colebatur quod aliqua effigie *repraesentabatur,* sqq. 17 (98) „deus" incomprehensibilis est, etsi per gratiam *repraesentetur.* Ad Natt. I. 16 (322) *Repraesentatur* eis tota causa, referunt invicem exitus suos: sqq. Ad Natt. II. 10 (367) Nam ferunt aedituum eius solum forte in aede calculis ludentem ut sibi collusorem, quem non habebat, *repraesentaret,* sqq. — In posteriore latinitate hoc verbum nonnumquam habet notionem *„vice alicuius fungendi".* cf. S. Greg. Mag. Epp. 1. 1.

Repromittere = *promittere,* 8 (43) Ecce proponimus horum facinorum mercedem: vitam aeternam *repromittunt.* 48 (250) At enim Christianus si de homine hominem ipsumque de Gaio Gaium reducem *repromittat;* Rönsch, Semas. Beitr. z. L. W. p. 73.

Repurgare = *iterum et pleniter purgare,* 16 (97) quae omnia conversi iam ad demonstrationem religionis nostrae *repurgabimus;* (male Oehl. in editione altera: *repurgavimus*). Cf. Ov. Met. 5. 286 *repurgato* caelo; Sen. ep. 66: serenitas caeli *repurgata;* Curt. 6. 6. 26; 4. 1. 21; Liv. 44. 4; Suet. Aug. 30 alveum Tiberis rep.; id. Tib. 8: ergastula *repurgare,* et al.

Reputare = *existimare, considerare, deputare* 27 (168) et desperata condicio eorum ex praedamnatione solatium *reputat* fruendae interim malignitatis de poenae mora. 50 (267) confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte *reputari*. Rönsch I. u. V. pg. 387; Semas. Beitr. z. L. W.; Georges. s. v. II B. Kaulen, Handbuch zur Vulg. pg. 229.

Requirere = *inquirere* 2 (14) Neque enim putaretis *requirenda* quaestionibus scelera. 4 (27) Incestus sum, cur non *requirunt?*

Rescindere = *abolere, tollere, infirmare* 14 (80) *rescissa* damnatio testimonium Socrati reddidit ad Natt. II. 4 (343) Itaque si aeque θεοὺς aeque immobiles, disceditur vocabuli interpretatione pariter et divinitatis opinione, quae a cursu et motu modulata *rescinditur.*

Rescribere = *statuere, constituere*, de imperatorum mandatis usurpatum c. 2: Tunc Traianus *rescripsit*, hoc genus inquirendos quidem non esse, sqq.; cf. Suet. Aug. 40; id. Tib. 32; Dig. 1. 16. 4; 18. 1. 71; 36. 4. 1; Vopisc. Prob. 11; Aur. 41.

Resignare = *reserare, recludere, violare* 6 (35) ut matronam ob *resignatos* cellae vinariae *loculos* sui inedia necarint, sqq.

Resipiscere, 17 (99) Quae (sc. anima), licet falsis deis exancillata, cum tamen *resipiscit*, ut ex crapula, ... deum nominat.

Resplendere = *denuo splendere* 48 (254) Lux cotidie interfecta *resplendet*. Cf. Verg. A. 12. 741; Sen. Agam. 543; Sil. 12. 732; Manil. 5. 719; Claudian. rapt. Pros. 3. 446; Claudian. laud. Stil. 1. 16.

Respondere = *spondere, adfirmare* 24 (151) Omnis ista confessio illorum qua se deos *negant* esse quaque non alium deum *respondent* praeter unum, cui nos mancipamur, sqq. Ad Natt. I. 3, quod *respondetur* vel *negatur*. Cf. etiam De Test. Animae c. 3 „Et esse et abominationem sustinere execrationes tuae *respondent*." Dirksen Manuale. s.v.p. 841.

Respondere = *sponsionem facere, sponsione se obligare,* 9 (48) cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant et libentes *respondebant.* Cf. de Cor. 11 (O. I. p. 443) „Credimusne humanum sacramentum divino superduci licere, et in alium dominum *respondere* post Christum, sqq." Ambros. de Abrahamo diss. 2 „Bona mens quae sine *responsi* caelestis syngrapha certamen arripuit." Papinian. Dig. L. 1. 17 Fideiussores, qui salvam rempublicam fore *responderunt.*"

Respondere = *audere,* 23 (146) „Si altera parte daemones sunt vel angeli, cur se alibi pro deis agere *respondent?*" Praeterea *respondere* in posteriore latinitate significat: *excusare, defendere, ἀπολογεῖσθαι;* cf. Rönsch, Semasiol. Beitr. z. L. W. pg. 74.

Restaurare 48 (251) quemlibet pro quolibet, dum hominem, ut eadem qualitas animae in eandem *restauretur* condicionem, etsi non effigiem? Tac. A. 3. 72, theatrum *rest.*; 4. 43, aedem Veneris *rest.;* Dig. 7. 4. 10; 43. 21. 1: aliquid in pristinum statum *rest:*

Restaurare = *concludere, comprehendere,* Rönsch, Semasiol. Beitr. z. L. W. pg. 74.

Restringere = *religare, in ordinem redigere, sanare,* 21 (126) cum ille paralyticos *restringeret.* Cf. Hor. Carm. 3. 5. 35: *restrictis* lacertis; Catull. 64. 297, membra catena *restrictus;* Stat. Th. 6. 812; Tac. A. 14. 64, puellam r. vinculis; 15. 57: vinclo fasciae in modum laquei ad arcum sellae *restricto.*

Restruere, quod verbum non nisi in Tertulliani scriptis reperitur; 6 (37) licet Serapidi iam Romano aras *restruxeritis.* Cf. ad Natt. I. 10 (300) eorumque aras a senatu deiectas nonnisi per vim popularium *restructas.*

Resultare, 24 (152) At e contrario in vos exprobratio *resultabit,* sqq.

Retexere = *narrare* in libris ad Natt. reperitur idque II.

7 (355) At cum recipiatis illos et retineatis, cur non credatis talia *retexentibus* de deis vestris?

Retorquere (*crimina in aliquem*), 4 (23) nec tantum refutabo quae nobis obiiciuntur, sed etiam in ipsos *retorquebo* qui obiiciunt. Cf. ad Natt. I. 5 (282) Adeo testimonium redditis non esse tales Christianos, dum cur tales sint qui dicuntur Christiani *retorquetis*. I. 10 (306) et possum *retorquere* probatum esse in illo quod nunc reprobatur in nobis. I. 14 (315) et qualitate auctoris infirmum libenter excipiam studio *retorquendi*.

Retractare = *de novo tractare, iterum atque iterum tractare, considerare, in disceptationem vocare*, 3 (19) Nemo *retractat:* nonne ideo bonus Gaius et prudens Lucius, quia Christianus? 4 (23) Sed quoniam, cum ad omnia occurrit veritas nostra, postremo obstruitur legum auctoritas adversus eam, ut aut nihil dicatur *retractandum* esse post leges, sqq. 5 (28) ut de origine aliquid *retractemus* eiusmodi legum; 11 (62) causas, quae hoc exegerint, *retractemus;* 21 (115) fortassean hoc nomine de statu eius *retractetur;* 25 (157) satis quidem mihi videor probasse, ut nihil iam ad hanc causam sit *retractandum;* 39 (207) De solo triclinio Christianorum *retractatur*. Cf. ad Natt. I. 8 (293) Sed unum hoc erit de vanitatibus vestrarum fabularum non otiose nobis *retractandum*, sqq. II. 1 (334) Triplici enim genere deorum censum distinxit: unum esse physicum, quod philosophi *retractant*, sq. II. 1 (335) Porro divinitas, si veram *retractes*, ea definitione est, sqq. II. 3 (338) tamen quod de ipsis interim *retractandum est* quod ad praesentem speciem facit, sqq. II. 12 (377) compendio ab ipsa dispiciendi rationem summam originem generis illorum *retractando*. II. 13 (388) Ergo an meruerit *retractemus*. Cf. Aul. Gell. XIV. 3. 4; Rönsch, Semasiolog. Beitr. zum. Lat. Wörterb. pg. 75.

Revincere = *probare, demonstrare, refellere, redarguere*, 1 (5) Quam iniquitatem idem titulus et onerat et *revincit* qui videtur excusare, ignorantia scilicet. 10 (58) Si et ipsa inficias

ierit, de suis antiquitatum instrumentis *revincetur* sqq. 21 (126) Ad doctrinam vero eius qua *revincebantur* magistri primoresque Iudaeorum, ita exasperabantur, sqq. 40 (214) Et bene, quod si quid adversi accidit urbibus, eaedem clades templorum quae et moenium fuerunt, ut iam hoc *revincam* non ab eis evenire, quia et ipsis evenit. 46 (232) Qui nos *revincere* audebit, non arte verborum, sed eadem forma qua probationem constituimus, de veritate? ad Natt. I. 1 (271) Testimonium ignorantiae vestrae, quae iniquitatem dum defendit, *revincit*, in promptu est, sqq. Ad Natt. I. 20 (330) Nam omnia ista in nobis solis erunt et a nobis solis *revincuntur* quibus inlata sunt, sqq.

Revocare = *monere, retinere* insolenter dicitur 33 (180) maior est qui *revocatur*, ne se deum existimet.

Rigare = *explere, depellere* vel *sedare* mira libertate dictum reperitur 37 (242) „Inde igitur philosophi *sitim* ingenii sui *rigaverunt.*" Brachylogia: *fauces rigando sedare sitim.*

Ructuare praebet *Fuldensis* 23 (144) qui *ructuando* curantur. (*ructando* ABDEFGλabcde. Ambros. Vindob. Erfurt. Oxon.; cf. Oehler. ed. m. I. pg. 212). Cf. c. 48 i. f. sive de terra per vertices montium *eructans* (*eructuans* λ.) c. 9 (52) *Ructatur* proinde ab homine caro pasta de homine. 39 (205) Tot tribubus et decuriis *ructantibus* acescit aër. *Ructuare* invenitur etiam ap. Augustin. serm. 135.

Satiare = *imbuere* insolita ratione dicitur 8 (43) excipe rudem sanguinem, eo panem tuam *satia.* Cf. ad Natt. I. 7 (291) certe excipe rudem sanguinem, in quo panem tuam *saties*, sqq. V. ad Natt. I (274) non statim confesso eo nomen homicidae dispuncta causa est aut *satiata* cognitio (= *expleta*). II. 12 (383) *Satiata* primordiorum disputatione, sqq (= *expleta et absoluta*).

Scire raro in bona latinitate reperitur idem significans quod *nosse* cum Acc. casu coniunctum. Non infrequens hic usus apud sequioris aetatis scriptores est; 5 (30) qui enim *scit illum*, intellegere potest non nisi grande aliquod bonum a

Nerone damnatum; 21 (116) sed et vulgus iam *scit Christum;* 22 (134) *sciunt daemones* philosophi, Socrate ipso ad daemonii arbitrium exspectante. Cf. ad Natt. I 17 (324) recognoscam et festivos libellos quos statuae *sciunt* sqq. Eadem ratione *nescire* pro: *non nosse* usurpatur. V. Salm. ad scriptt. Hist. Aug. p. 115 F. sqq. et pg. 453 A; Apul. Met. VI. 23 pg. 476 ed. Hild.; Rönsch, I. u. V. pg. 380, qui alia quoque exempla ex aliis scriptoribus collegit.

Scribere repudium dixit Tertullianus 6 (36) Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab urbe condita nulla *repudium* domus *scripsit?* Belg. „*den scheidbrief geven.*" Vulgo dicitur: *repudium renuntiare*, Plaut. Aul. 4. 10. 54; Ter. Phorm. 4. 3. 72; *repudium remittere*, Plaut. Aul. 4. 10. 69; Lucil. ap. Non. p. 383. 20; *rep. sponsae remittere*, Dig. 30. 16. 101; *rep. remittere uxori*, Suet. Tib. 11; *repudium dicere*, Tac. Ann. III. 22.

Seminare, 21 (131) qui et ipsi . . . . *sanguinem* Christianum *seminaverunt.* 7 (42) ut nemo recogitet, ne primum illud os *mendacium seminaverit*, sqq.

Signare = *signo notare* 21 (218) Eodem momento dies medium orbem *signante* sole subducta est. Cf. ad Natt. II. 15 (398) Immo cum privatim apud Romanos deputentur quos supra *signavimus*, sqq.

Signare = *confirmare*, idem fere valens quod *initiare* 9 (51) Hodie istic Bellonae sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus et siti datus *signat.* Sic 8 (43) usurpatum est *consignatus*: Talia initiatus et *consignatus* vivis in aevum. Cf. *signaculum* = nostrum : *doop.*

Signare = *vindicare, perseverare in* 50 (265) zenosententiam suam ad mortem usque *signabat.*

Signare = *obsignare sigillo, σφραγίζειν*[1]), 10 (61) Ab ipso

---

[1]) Ea significatione praeditum in bona quoque aetate *signare* invenitur; cf. Cic. Fam. 13. 29 : cum *signaretur* argentum. Legg. 3. 3 : aes argentum aurumve *signanto*; Acc. in verr. 5. 25 argentum *signatum.*

(sc. Saturno) primum tabulae et imagine *signatus* nummus. Cf. ad Natt. II. 12 (382) „nec fideliora eius vestigia quam in ipsa Italia *signata sunt.*"

Signare = *adsignare*, *adscribere* ad Natt. II. 12 (377) ea origo Saturno *signatur.*

Signatus = *apertus*, *evidens* 48 (254) Dubitabitur, credo, de dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi sibi posuit, *signatum* et ipsum humanae resurrectionis exemplum in testimonium vobis.

Stare insolita ratione de caelo dicitur 40 (210) „si caelum *stetit*", quod idem significat ac: „si non pluit." Cf. locum similem ad Natt. I. 9 (295). Tertullianus eam locutionem sibi elegit, ut „stetit" esset antithesis sequentis vocabuli „*movit.*" V. August. de civ. Dei II. 3.

Sternere mire de precibus dictum est 43 (226) non dico iam qui pro vobis quoque vero deo preces *sternant.*

Stringere fulmina obviam est 48 (258) Ita longe alius est qui usui humano, alius qui iudicio dei apparet, sive de caelo *fulmina stringens* sqq.

Stuprare mores pro *corrumpere mores*, 6 (34) quae theatra *stuprandis* moribus orientia statim destruebant. Cf. *constuprare.*

Subare, 14 (78) Iovem nunc flentem Sarpedonis casum nunc foede *subantem* in sororem; 46 (237) Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recumbentis ardori *subantem.* Vide de hoc verbo Intt. ad Apul. de magia 38 p. 481 et ad Arnob. I. 2; cf. Plin. 10. 63 (83); Lucr. 4. 1199; App. mag. p. 298. 22. De hominibus dictum reperitur hoc verbum ap. Horatium quoque epod. 12, 11.

Subiacet = *in promptu est*, **ὑπόκειται;** cf. ea, quae supra (in capite „de Infinitivo") de hoc verbo sunt dicta et Rönsch, Semas. Beitr. z. L. W. p. 75.

Subiicere = *imponere*, 8 (45) sed ignorantibus *subiicitur.* Cf. ad Natt. I. 7, ignaris et dapes et nuptiae *subiciuntur.*

Subiicere = *posthabere*, ad Nat. II. 9. (365) Ac si hoc

verum nolunt, Aeneas certe patria flagrante dereliquit socios, feminae Punicae *subiiciendus*, sqq.

Subministrare, *commodare* 39 (204) qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime *subministrant*, sqq.

Subscribere = *tabulis subscribere nomen, signare, dare, concedere*, Tertulliano familiare est; 6 (33) quae centum aera non amplius in coenam *subscribi* iubebant; 18 (103) „Sed ne notitia vacaret, hoc quoque a Iudaeis Ptolemaeo *subscriptum est* septuaginta et duobus interpretibus indultis." Hanc significationem habens *subscribere* apud Tert. solum reperitur.

Succidere = succumbere, subiectum esse, 27 (168) conditioni suae *succidunt*. Rönsch, I. u V. pg. 381.

Suffundere *sanguinem alicuius* = *efficere ut erubescat; suffundere aliquem* = *dedecore afficere* 4 (27) bonorum adhibita proscriptio *suffundere* maluit *hominis sanguinem* quam effundere. 37 (194) Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, *suffudisset* utique dominationem vestram tot qualiumcumque civium amissio. Vide etiam Hieronym. adv. Jovin. I. 48, Haec Theophrastus disserens quem non *suffundat* Christianorum. Cf. Goelzer, latinité de St. Jérome pg. 258.

Suffundi = *erubescere*, d. Virg. vel. 2. sancti viri est *suffundi*, si virginem viderit.—Cf. *vultum suffundere rubore; vultum suffundi rubore* et *vultu suffundere ruborem.* (Verg.)

Suggerere = *subiicere, submonere, commemorare*, 25 (164) qui, ut *suggessimus*, religionem aut laedendo creverunt aut crescendo laeserunt; 27 (167) sed agnoscimus, unde talia *suggerantur;* 33 (179) *suggeritur* enim ei a tergo: Respice post te! 47 (246) quod ideo *suggesserim*, ne sqq. Ad Natt. I. 6 (283) His propositionibus responsionibusque nostris, quas veritas de suo *suggerit*, sqq.—I. 14 (314) Nova iam de deo nostro fama *suggessit*, sqq. Cf. Dig. 4. 6. 26; 28. 5. 35, quae res in proposito quoque *suggerit.* Vop. Aur. 21; Hier. advers. Rufin. I. 12, imperatorum scripta quae de Alexandria et

Aegypto Origenistas pelli iubent me *suggerente* dictata sunt. Goelzer, lat. de St. Jérome pg. 259; Rönsch, Semasiol. Beitr. z. L. W. p. 79.

Suggillare = *laedere, perstringere, notare. contumelias dicere, reprehendere, irridere,* 4 (22) ad *suggillandam* odii erga nos publici iniquitatem; 39 (205) coenulas nostras *suggillatis.* Cf. Liv. IV. 35. 10, viros spectatos primis annis *suggillatos.* Val. Max. 3. 2. 1, crudelitatem alicuius *sugg.*; id. 5. 4, *suggillandi* gratia; id. 5. 3. 4, *suggillandum* ad hoc monstrum invalidae litterae; id. 7. 5. 5. *suggillatus* est repulsa praeturae; id. 7. 8. 9, *suggillanda* sibi desumpsit iura familiaritatis. Petron. 128: non *suggillare* miserias; Dig. II. 4. 10 12, pudorem non *suggillat;* XLIV. 4. 4. 16, patroni parentisve opinionem . . . . *suggillet;* cf. Rönsch, I. u. V. p. 381. Sic usurpatur *suggillatio* = *contumelia* 12 (67) *Suggillatio* est in caelo vestra iustitia.

Superinduere (ἐπενδύειν) metaphorice Tertullianus solus usurpat 48 (257) *superinduti* substantia propria aeternitatis. Cf. Suet. Nero 48; Rönsch, I. u. V. pag. 48; cf. etiam *superindumentum.*

Supernominare = *cognominare* ἅπ. εἰρ. est. 18(102) Ptolemaeorum eruditissimus, quem Philadelphum *supernominant.*

Superstruere 12(69) quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti *superstructa?* Cf. Sen. Controv. 1; Tac. A. 4. 62, ligneam compagem *superstruxit;* Quinct. 1. 4. 5: quidquid *superstruxeris;* App. Met. 10 p. 248. 27: desuper pulvillis *superstruunt.*

Suspicere = *magni facere, aestimare; revereri,* 18(104) „interpretes," quos Menedemus quoque philosophus providentiae vindex de sententiae communione *suspexit*; 24(152) Itaque oportere et procurantes et praefectos et praesides pariter *suspici;* 32 (178) nos iudicium Dei *suspicimus* in imperatoribus; 33 (178) quem necesse est *suspiciamus* ut eum, quem dominus noster elegerit; cf. Cic. de off. 2. 10, ubi *suspicere* oppositum est verbo „*despicere.*" Arnob. 7. 11.

Suspirare, c. 44. de vestris metalla *suspirant. Suspirare aliquem* = *amore alicuius ardere* (cf. poetarum „*ardere aliquem*") 15 (83) Cybele *pastorem suspirat* fastidiosum non erubescentibus vobis. Cf. locum similem ad Natt. I. 10 (307). *Suspirare* apud poetas saepe sic adhibitum videmus; cf. Juv. 11. 152, *suspirat matrem* longo non visam tempore; Tib. 4. 5. 11. *susp. amores*; id. 1. 6. 35 *maiorem suspirat Achillem;* Hor. carm. 3. 7. 10 *susp. Chloën;* et al.

Sustinere = *expectare, sperare, differre,* 35 (189) Cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur et *sustinetur?* Ad Natt. I. 7 (290) Haec, oro vos, denuntiata ab aliis *sustinent* (h. e. *differunt*) prodi? Cf. Liv. V. 45: rem in noctem *sustinere;* et III. 33; Martial. Epigr. IX. 4: Exspectes et *sustineas*, Auguste, necesse est. —

Sustinere = *tolerare,* 8 (46) quid nunc, etsi ista omnia ignaris praeparantur, certe postea cognoscunt et *sustinent* et ignorant? 15 (83) et *sustinetis* Jovis elogia cantari; 25 (164) Et ab hostibus ergo suis *sustinent* adorari et illis imperium sine fine decernunt sqq. — Cf. denique Rönsch. I. u. V. pg. 381 et 382; id. Semasiolog. Beitr. Z. L. W. pg. 81.

Temperare insolenter dicitur 42 (221) nullum fructum operum eius repudiamus; plane *temperamus,* ne ultra modum aut perperam utamur. 33 (179) sed etiam quod *temperans* maiestatem Caesaris infra deum magis illum commendo deo, cui soli subiicio. 2 (16) Apud tyrannos enim tormenta etiam pro poena adhibebantur, apud vos soli quaestioni *temperatur.* 22 (139) In oraculis autem quo ingenio ambiguitates *temperent* in eventus sciunt Croesi, sciunt Pyrrhi. 47 (242) Et si non onus iam voluminis *temperarem,* excurrerem in hanc quoque probationem. Cf. ad Natt. I. 12 (312) nempe de olivae nucleo et nuce persici et grano piperis sub terra *temperato* arbor exsurgit in ramos sqq.; ad Natt. I. 2 (275) Nam et plerique fidem talium *temperant,* sqq. (= *minuere, detrahere*).

Transfigurare, 12 (69) licentia artis *transfigurante;* cf.

Plin. H. N. 8. 22 (34); 9. 31 (51): 13. 25 (50). Suet. Ner. 28: puerum in muliebrem naturam *tr.;* id. ibid. 46: posteriore corporis parte in simiae speciem *transfiguratus*; Stat. Silv. 2. 7. 78: qui corpora prima *transfigurat.* Suet. Cal. 22. aede Castoris et Pollucis in vestibulum *transfigurata*; Quinct. 6. 2. 1; Sen. ep. 6.

Transigere 38 (197) cum et ipsis rebus de quibus *transiguntur* praetersumus.

Trànslucere 35(185) Iam si pectoribus ad *translucendum* quandam specularem materiam natura obduxisset, sqq.

Transvenire 19 (106) Superior invenitur annis circiter trecentis quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argo *transvenisset.* Cf. *transvena,* de Spectac. 4.

Truncare 4 (25) Nonne et vos . . . . squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus *truncatis?*

Usurpare 39 (204) qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant.

Vacare Tertullianus frequenter scripsit, significans: *vacuum esse, otiosum esse, cessare, deesse, deficere, opus non esse* 1 (5) *vacante* autem meriti notitia; 2 (16) Vestram illis servate legem usque ad confessionem necessariam, et iam si confessione praeveniantur, *vacabunt* (h. e. *non adhibenda tormenta erunt, utpote non amplius necessaria.*) 11 (65) *vacat* ex hac parte causa sq.; 18 (103) Sed ne notitia *vacaret,* hoc quoque Ptolemaeo a Judaeis subscriptum est. Cf. ad Natt. II. 12 (381) Potest incorporaliter fingi quodvis quod non fuerit omnino, *vacat* fingendi locus ubi veritas est.

Vendere *facinora* insolenter dicitur 7 (40) Quis talia *facinora* cum invenisset, celavit aut *vendidit*; cf. ad Natt. I. 7 (289) quis enim proditionem criminis alicuius sine crimine ipse aut *vendit* aut redimit?

Vìvescere = *revivescere* 48 (254) Sidera defuncta *vivescunt.*

Volutare (transit. et intransit. apud Tert. adhibetur.) 40 (217)

in sacco et cinere *volutantes* (*voluntates* B G; *volvilantes* A.) invidia caelum tundimus.

Vorare 20 (113) Quod terrae *vorant* urbes.

II. ADIECTIVA.

Accuratus = *quod magnae curae est*, 22 (138) et quae illi *accuratior* pascua est, quam ut hominem e cogitatu verae divinitatis avertat praestigiis falsis? Cf. Bindley in editione Apologetici pg. 83.

Aemulus = *inimicus*, *infestus*, *contrarius*, *adversarius*, in bona latinitate eo quidem sensu non obviam est. Frequens eius vocabuli usus est in scriptis Tertulliani: 2 (17) nomen, quod quaedam ratio *aemulae* operationis insequitur; 2 (18) nomen illius *aemulae* rationis inimicum; 5 (33) Facilius utique pessimi ab optimis quibusque, ut ab *aemulis*, quam a suis sociis eradicandi iudicarentur. 21 (124) et qui penes vos eiusmodi fabulas *aemulas* ad destructionem veritatis istiusmodi praeministraverint. Cf. 23 (146) Iam ergo subiecta est Christianis divinitas vestra, nec divinitas deputanda est quae subdita est homini, et si quid ad dedecus facit, *aemulis* suis. 27 (167) Ille spiritus daemoniacae et angelicae paraturae qui noster ob divortium *aemulus* de mentibus vestris adversus nos proeliatur; 38 (197) quae res facile comitia, concilia, curias *aemulis* studiorum compulsationibus inquietaret. 48 (255) Quae ratio universitatem ex diversitate composuit, ut omnia ex *aemulis* substantiis sub unitate constarent. Cf. ad Natt. I. 7 (285) quales simus damnator ipse demonstravit, utique *aemula* sibi puniens. I. 7 (291) Vitam aeternam sectatoribus et conservatoribus suis spondet, e contrario profanis et *aemulis* supplicium aeternum aeterno igni comminatur. Rönsch, I. u. V. pg. 338.

Aequalis = *par*, 27 (168) ingratis resistimus ut *aequales*. ad Natt. I. 20 (329) Quia non odistis quod estis, date dextras

potius, compingite oscula, miscete complexus, cruenti cum cruentis, ... obstinati et vani cum *aequalibus*.

Angelicus, 27 (167) „ille scilicet spiritus *angelicae* paraturae;" obviam est hoc adiectivum ap. Eccl. scriptores et Prudent. tetrast. 11. de mann. panis *angelicus*.

Argentarius, 6 (34) video in lances *argentaria* metalla producta. — Metalla *argentaria* scripsit Plinius quoque: 33. 5 (26) 86; 33. 7 (36) 111; 34. 9 (20) 97; 17 (48) 160; Dig. 34. 2. 59; Orelli inscr. 7; Muratori inscr. 945. 5 (Orelli 4147).

Asinarius (ὀνικός) 16 (89) Hoc forsitan inprobamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque *asinarii* tantum sumus. Cf. Catonis, R. R. 10. 4; 11. 4. molae *asin.*; Apul. Met. 7. 8. mulier *asinaria*; cf. Rönsch, I. u. V. pg. 131. Cf. ad Natt. I. 11 (310) Et hoc forsitan crimini datis, quod inter cultores omnium tantum *asinarii* sumus.

Asininus, 16 (87) nam et, ut quidam, somniastis caput *asininum* esse deum nostrum; cf. locum similem ad Natt. I. 11 (309). Cf. Varronem r. r. 2. 8. 2; 1. 38. 2; Plin. 28. 14 (58); 17. 9 (6); 28. 17 (67); 8. 21 (30); Fulgent. Myth. 3. 9: aures *asinini*.

Aulicus 13 (76) cum de paedagogiis *aulicis* nescio quem synodi deum facitis. Suet. Dom. 4: apparatus *aulicus;* id. Nero 45: luctatores *aul.;* Sedul. 1. 193. Convivia *aul.;* Spart. Hadr. 11: domus *aulica*.

Caecus = *ignotus*, 22 (137) ac si *caeca* ratione temptatus aër pestilentes haustus suos offundit; *caecus c. gen.* = *ignarus:* 9 (56) *caecus* incesti sanguinis.

Caninus vocabulum est, quod ap. Plautum (Cas. 5. 4. 4.), poëtas, posterioris aetatis scriptores reperitur; cf. Apol. 8 (43) nota diligenter, ut cum tenebrae ceciderint *caninae* non erres; ad. Natt. II. 9 (364) quod telum quantum vulgare, atque *caninum*, tanto ignobile vulnus!

Castrensis = *militaris* 16 (92) Religio Romanorum tota *castrensis* signa veneratur.

Censualis, 19 (112) Graecorum etiam *censuales* conferendi;

omissum est vocabulum „*libri*", aut „*scribae*". Cf. Symm.. ep. 10. 43; Capit. Gord. 12.

Centenarius, 6 (34) Video enim et *centenarias* coenas a centenis iam sestertiis dicendas; cf. Paul. Diac. p. 54. 2; Dig. 37. 14. 16. pr. § 1; Iustin. Inst. 3. 8. 2. Vide porro Salmas. de Foen. Trap. p. 641; Arnob. II. 75: *centenarii* vagitus.

Circulatorius 23 (141) si multa miracula *circulatoriis* praestigiis ludunt; cf. Quinct. 2. 4. 45: iactatio *circ.*; 10. 1. 8: volubilitas *circ.*

Coaequalis *par*, cf. *aequalis* 11 (67) Deos facite criminosissimos quosque, ut placeatis deis vestris! illorum est honor consecratio *coaequalium*. Cf Iust. Hist. 23. 4; 37. 4; Petron. 136; Colum. VIII. 14. 8; cf. Vorst. ad Sulp. Sev. Hist. I. 26. 6. Vide Rönsch, I. u. V. pg. 223; Goelzer, lat. de St. Jérome pg. 144.

Comprehensibilis 48 (256) ut omnia ex aemulis substantiis sub unitate constarent ex vacuo et solido, ex animali et inanimali, ex *comprehensibili* et incomprehensibili; cf. de hoc adiectivo: Lactant. 7. 12; (c. et solidum corpus). Sen. Quaest. Nat. 6. 24 tenuia foramina nec oculis *comprehensibilia*. Arnob. 1. p. 37; Macr. Somn. Scip. 1. 2.

Consectaneus et **consecraneus** in mss. confunduntur 16 (89) „Sed et qui crucis nos religiosos putat, *consecraneus* (*consectaneus*) erit noster". Eo igitur loco haec adiectiva pro substantivis usurpantur. *Consectaneus* pro substantivo etiam invenitur Sidon. ep. 1. 1; 3. 6; 7. 9; 7. 14; pro adiectivo contra Arnob. 7. p. 214. *Consecraneus* non nisi pro substantivo adhibitum in usu est et reperitur ap. Capitol. Gordian. 14.

Contemptibilis 45 (231) Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat, modicum quidem *contemptibilem* pronuntiando. Cf. Lampr. Alex. Sev. 20; Capitol. Gordian. 23; Dig. I. 16. 9. 2; XXI. 2. 37. 1; Porphyr. ad Hor. carm. I. 25. 10; Rönsch, I. u. V. p. 110.

Cornutus 21 (120) „deum patrem", squamatum aut *cornutum* aut plumatum amatorem aut in auro conversum Danaidis;

ad Nat. I. 14 (315) Sunt penes vos et canino capite et leonino et de bove et de ariete et hirco *cornuti* dii, etc. Cf. Varronis R. R. 2. 7. 2 animalia *cornuta;* L. L. 7. 39 quadrupedes *cornuti;* Amm. 14. 2; Hieron. in Helvid. 16 interrogatio *corn.;* Id. ep. 69. n. 2: Syllogismus *corn.*.

Daemoniacus 27 (167) „Ille scilicet spiritus *daemoniacae* paraturae". Altera lectio est: „*daemonicus*". Invenitur id adiectivum ap. Lact. 4. 15 potentia *daemoniaca.*

Dehonorarius = *inhonestus* ediderunt Rig. et Haverc. 39 (201) Etiam si quod arcae genus est, non *dehonoraria* summa sqq.

Dehortatorius = *dehortans* ἁπ. εἰρ. est. 22 (134) Cum et ipsi daemonium a pueritia adhaesisse dicatur, *dehortatorium* plane a bono. Cf. Rönsch, I. u. V. pg. 138.

Deificus = *deos consecrans* 11 (66) Et huic conceditis, opinor, illum deum *deificum* iustitia praecellere. Rönsch I. ū V. pg. 224 et. 225.

Dissolubilis 47 (246) Sic et de animae statu, quem alii divinam et aeternam, alii *dissolubilem* contendunt. Cf. Cic. nat. deor. 13. 12. 29; 1. 8. 20; Augustin. de genes. 8.

Domesticus insolenter dicitur eodem sensu, quo οἰκουρός. 39 (201) „dispensatur *domesticis* senibus." Secundum Oehlerum *domestici senes* sunt qui prae morbo et virium omnium defectione iam domi manerc sunt coacti. Cf. ad Nat. I. 7. *domesticorum* curiositas = *ministri, famuli.* Apol. 18 *domestica* dei gens. Apol. 7 (39) Tot hostes eius quot extranei, et quidem proprie ex aemulatione Iudaei, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam *domestici* nostri.

Exertus = *manifestus, apertus.* 21 (125) „adventus secundus," qui concludendo saeculo imminet in sublimitate divinitatis *exertae.* 37 (193) Si enim et hostes *exertos,* non tantum vindices occultos agere vellemus. Ad Natt. I. 20 (331) in extraneos casti, in vosmetipsos incesti, *exertiores* foris, subiecti domi. (Cf. Oehleri ed. maiorem I. pg. 347 ann. — *exertiores foris, subiecti domi* — Praepropteri extraneorum damnatores, pro-

priorum vitiorum indulgentissimi. Gothofredus *exertiores* explicat *severiores*, *disciplinatiores*, sed exemplo non probat. *Exertus* hic est qui severitatem exerit, *subiectus* igitur qui non exerit, sed qui indulget.) Cf. Stat. Silv. 5. 2. 39 „bellum *exertum*," et App. Met. 1. p. 103. cachinnus *exertus*; Georges s. v. II. a; Rönsch. Semas. Beitr. z. L. W.

Extraneus = *alienus, qui non eiusdem est imperii, nationis, linguae, domus.* 1 (4) Scit se peregrinam in terris agere, inter *extraneos* facile inimicos invenire; 7 (39) Tot hostes eius quot *extranei*. 7 (40) si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut *extranei*. Et unde *extraneis*, cum semper etiam piae initiationes arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt? — 9 (48) *extraneis* utique non parcendo perseverabat. 9 (50) Inprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua praetereunte misericordia *extranea*; 16 (88) quia nec verebatur *extraneos* arbitros quamquam vana cultura; 25 (158) Peregrinos enim deos non putem *extraneae* genti magis fautum voluisse quam suae. 31 (176) „litterae," quas plerique casus ad *extraneos* transferunt. 31 (177) licet *extranei* a turbis aestimemur. Cf. ad Natt. I. 7 (286) Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut *extranei*. Oro vos, *extraneis* unde notitia, cum enim iusta et licita mysteria omnem arbitrum *extraneum* caveant? (cf. Apol. 7 (40). I. 7 (289) sed quid *extraneis* speculatoribus et indicibus detractem sqq. I. 7 (291) nota diligenter, ut cum tenebrae inruerint, temptantes scilicet diligentiam singulorum, non erres *extraneam* incursans: cett. I. 11 (309) Ubi ergo is deus fuerit? utique nusquam magis quam in templo tam memorabili, praesertim omnibus praeter sacerdotibus clauso, quo non vererentur *extraneum*. I. 17 (324) Hoc loco Romana gens viderit in quibus indomitae et *extraneae* nationes. I. 18 (327) at nunc tranquillitate pacis et ingenia mitiora et mentes hominum etiam in *extraneos*. I. 20 (331) in *extraneos* casti, in vosmetipsos incesti, II sqq. 13 (391) Omnes proinde incesti in suos, impudici in *extraneos*, impii, iniusti. Vide Plin. 28. 4 (7) *extranei* interventu si dormiens spectetur

infans. Tac. Agr. 43; finis vitae eius *extraneis* etiam ignotisque non sine cura fuit; Suet. Aug. 69: filiam *extraneorum* coetu prohibuit; Suet, Claud. 4 ne heredem quidem inter tertios ac paene *extraneos* nuncupavit; Iust 1. 1. 10: ut non tam in *extraneum* translatum quam in familiam reversum videretur. Rönsch, Semasiol. Beitr. z. L. W. p. 13 sq.

Famularis = *famulus* 21 (129) primores quorum intererat et scelus divulgare et populum vectigalem et *famularem* sibi a fide revocare.

Hebraeus, adiectivum 18 (103) Igitur littterae *Hebraeae* et eloquium. Cf. Stat. Silv. 5. 1. 213; Tac. Hist. V. 2; Augustin. C. D. 18. 39; Arat. 2. 924.

Hebraicus 18 (105) Hodie apud Serapeum Ptolemaei bibliothecae cum ipsis *Hebraicis* litteris exhibentur. Cf. Lactant. 4. 7. 7.

Hesternus = *novellus* 37 (193) *Hesterni* (al. lect. *externi*) sumus et vestra omnia implevimus.

Hosticus 35 (186) nihil *hosticum* de ipso senatu spirat. Cf. Flor. 3. 10. 17 tumultus *hostic.*; Liv. 44. 13. ager *host.*; Varro, L. L. 4. 4; Plaut. Capt. 2. 1. 49 (manus *host.*); Flor. 2. 2; Sen. Oed. 737; Ov. Trist. 3. 10. 66.

Inaccusatus 49 (259) nam et multis aliis similia quibus nullas poenas irrogatis, vanis et fabulosis, *inaccusatis* et impunitis, ut innoxiis. Cf. ad Natt. I. 2 (273) soletis *inaccusatos* et indefensos non temere damnare; Rönsch, I. u. V. pg. 228.

Inaestimabilis 17 (98) „deus" *inaestimabilis*, etsi humanis sensibus aestimetur; cf. Liv. XXXI. 34; XXIX. 32; XXXVII. 57; XVI. 12; XXIX. 5. Amm. 22. 16.

Inanimalis 48 (256) ut omnia constarent ex animali et *inanimali*. Cf. ad. Natt. II. 11 (370) umbras nescio quas *inanimales*. Vide Macrob. Sat. 4. 6; App. Herm. Trism. p. 88.

Incomprehensibilis 17 (97) „deus est" *incomprehensibilis*, etsi per gratiam repraesentetur; 48 (256) ut omnia constarent ex comprehensibili et *incomprehensibili*; cf. Solin. 20: fuga *inc.*; Col. 10. praef. 4: parvitas *incompr.*; Plin. 1. 20 (6)

incompr. in disputando; Sen. ep. 94 opus *incompr.*; Quinct. 9. 1. 12 praecepta *incompr.*; cf. Hier. in Is. XIII ad 46. 3. sqq. ineffabilis Dei *incomprehensibilis*que maiestas. Goelzer, lat. d. St. J. p. 661.

Incontemptibilis, ἅπ. εἰρ., 45 (228) innocentiam ab *incontemptibili* dispectore mandatam.

Incorporalis, 47 (245) Alii *incorporalem* adseverant, alii corporalem. Ad. Natt. II. 11 (370) umbras nescio quas *incorporales*, sqq. Cf. Quinct. 1. 10. 116; Sen. ep. 58; id. benef. 6. 2; id. brev. vit. 8; Prisc. 2. pg. 579 nomina *incorporalia*; cf. Hier. in Is. XIII ad 49, 24 sqq. spiritus qui *incorporalis* est. Goelzer, lat. de St. Jérome pg. 165.

Indefectus 21 (123) manet integra et *indefecta* materiae matrix. Cf. App. de deo Socr. p. 44. 6.

Indifferens 36 (191) a deo exactore et remuneratore *indifferentis* benignitatis. Cf. Suet. Caes. 53; Cic, fin. 3. 16. 53; Sen. ep. 82. 83; Gell. 12. 5.

Indiscretus 39 (204) Omnia *indiscreta* sunt apud nos praeter uxores; cf. Varronis r. r. 3. 1. 7: paupertas *indiscr.* Tac. Hist. IV. 52. sanguis *indiscr.*; Quinct. 1. 2. 3; Sil. 8. 578 arma *indiscr.*

Inexercitus 47 (245) Contra Epicurei otiosum (deum adseverant) et *inexercitum*. Cf. locum similem ad. Natt. II. 2 (336). Macrob. sat. 7. 8; Frontin. Strat. 2. 1. 9. Rönsch, I. u. V. p. 229.

Inexorabilis 34 (181) nonne maximam et *inexorabilem* offensam contrahes eius quem habuisti? (h. e. *offensa, cui venia dari nequit*).

Infructuosus de hominibus dicitur 42 (220) Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, et *infructuosi* in negotiis dicimur. 42 (221) quomodo *infructuosi* videmur negotiis vestris sqq. 43 (226) His *infructuosos* esse magnus est fructus. Cf. porro de hoc adiectivo: Col. arb. 8. 4. vites *infruct:*; id. ibid. 11. 2. 32 cultura *infruct:*; id. ibid. 6. 5. vinea *infr:*; Amm. 22. 15. Nilus *infr:*; Plin. ep. 8. 23. 6. preces *infr:*; Tac. Ann.

I. 17 militia *infr:;* Hier. Ep. 125. 11. inserantur *infructuosae* arbores. Goelzer lat. de St. Jér. p. 162.

Inlex 41 (217) Vos reipublicae incommodorum *inlices* semper. Cf. App. mag. p. 323. oculi *inlices;* Prudent. adv. Symm. 2. 6 ars *inlex;* Plaut. Asin. I. 3. 68: esca est meretrix, lectus *illex* est, amatores aves. Id. Poen. III. 4. 35. illi malae rei tantae fuimus *illices;* id. Pers. III. 3. 4; App. mag. p. 295; '*illex* animi Venus. Cf. Lact. Inst. VII. 27. 1; Rönsch, I. u. V. pg. 121.

Inmusicus (ἄμουσος), *artium litterarumque expers.* ἅπ. εἰρ. 1 (7) quanto magis hos Anacharsis denotasset imprudentes de prudentibus iudicantes quam *inmusicos* de musicis! Rönsch, I. u. V. pg. 228.

Impassibilis 50 (265) Zeno *impassibilis* flagellis tyranni obiectus sententiam suam ad mortem usque signabat. Cf. Lactant. 1. 3; Prudent. apoth. 84; Hier. Ep. 100. 10: *impassibilis* divinitatis permanens maiestate; Orig. in Ezech. hom. 6. col. 940, ipse pater non est *impassibilis.* Goelzer, latin. de St. Jérome pg. 136.

Impuratissimus 23 (149) et *impuratissimis* linguis ipsorum vatum intellegi debuit. Cf. Plaut Rud. 3. 4. 46: „scio probiorem hanc esse quam te, *impuratissime.*" App. Met. 9. pg. 221. 19. *impuratissima* illa capita.

Insensibilis 22 (137) ut *insensibiles* in effectu potius quam in actu suo appareant. Cf. Lactant. 1. 20. 22; 6. 13. 13; 7. 3. 7; Gell. 17. 10. 17: cf. Hier. in Is. II. ad 5. 14 sq., quod verbis humanae consuetudinisr erum *insensibilium* exprimamus affectum. Id. in Eccl. 7. col. 442, ne se dicat insensibilem et stolidum a Deo esse generatum. Goelzer, latin. de St. Jérome p. 137.

Insignissimus 21 (116) „sub umbraculo *insignissimae* religionis." Etsi gradus comparativus huius adiectivi apud bonae quoque aetatis scriptores hic illic invenitur, superlativus tamen hoc uno loco adhibitus est.

Invisibilis 17 (79) *Invisibilis* est, etsi videatur. 22 (137) ut *invisibiles* in effectu potius quam in actu suo appareant.

legislator 19 (109) Ceteri quoque prophetae etsi ınt, extremissimi tamen eorum non retrosiores ...untur primoribus vestris sapientibus et *legiferis*. Cf. Verg. A. 4. 58: Ceres *legif.*; Ov. am. 3. 10. 41 Minos *legif:*. Pro substantivo usurpatum est *legifer* porro apud Prudent. περὶ στεφ. 3. 363; cf. Hier. Adv. Iovin. I. 20: nec mirum hoc de amico et propheta et *legifero* Dei. Goelzer, lat. de St. Jérome p. 167.

Leprosus 21 (126) cum ille verbo *leprosos* purgaret; cf. Sedul. 4. 191: decem maculosa gerentes *leprosi* portenta viri; Prudent. περὶ στεφ. 2. 285, peccante nihil est taetrius, nil tam leprosum aut putidum.

Licitus 38 (196) Proinde nec paulo lenius inter *licitas* factiones sectam istam deputari oportebat. Cf. Verg. A. 8. 468: *licito* tandem sermone fruuntur. Petron. 34. 8; Stat. Th. 11. 123; Dig. 37. 14. 2; id. 50. 14. 3.

Manticularius 44 (227) quis illic sicarius, quis *manticularius*. Cf. Rönsch, I. u. V. pg. 135.

Gloss. Labb. *manticularius*, κλέπτης.

Manualis 39 (208) Post aquam *manualem* et lumina sqq.; cf. Cassiod. 1. var. 10: digiti *manuales*; Plin. 19. 1 (3) fasciculi *man.*; id. 18. 30 (72) et 19. 15 (80); Sisenna ap. Non. p. 449. 2. *lapides man.*

Meridiani (sc. *gladiatores*) 15 (84) Risimus et inter ludicras *meridianorum* crudelitates. Ad Natt. I. 10 (307) Risimus et *meridiani ludi* de deis lusum, sqq. Cf. Suet. Claud. 34.

Munerarius = *qui munera exhibet* 44 (227) „de vestris semper *munerarii* noxiorum greges pascunt." Simili ratione qua hoc loco fit pro substantivo usurpatur „*munerarius*" Sen. Controv. 4; Suet Dom. 10.

Naturalia = *natura* 1 (9) quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet; 20 (114) quod et monstris et portentis *naturalium* forma turbatur.

Novellus de secta Christiana dicitur 21 (115) Sed quoniam edidimus antiquissimis Iudaeorum instrumentis sectam istam esse suffultam quam aliquanto *novellam* sqq.

Notum est a bonis quoque scriptoribus „novellus" de animalibus herbisque frequenter usurpari. Cf. contra Ov. Pont. 4. 12. 24. frena *novella*; Liv. II. 38 : oppida *novella*; Vopiscum Tac. 1. imperium *novellum*; Lucr. 1. 261. mentes *novellae*; Arnob. 2. 119. res *novellae*; id. 2. 113 religio *novella*. Cf. Goelzer. lat. de St. Jérome. pg. 158.

Novitiolus apud Tert. solum scriptum est 47 (246) nostram hanc *novitiolam* paraturam viri quidam adulteraverunt.

Noxius absolute positum est 9 (52) Item illi qui munere in arena *noxiorum* iugulatorum sanguinem hauserunt; 15 (83 et 84) Saltant dei vestri argumenta et historias *noxiis* <erogandis> ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros saepe *noxii* induunt; 16 (95) mercenarius *noxius*. 44 (227) de vestris semper munerarii *noxiorum* greges pascunt; cf. Liv. V. 11; Nep. Dion. 10. 1; Suet. Cal. 27; id. Ner. 12; id. Claud. 34; Aur. Vict. Caes. 5. 6.

Nudus = *non tectus* 6 (34) video et theatra nec singula satis esse nec *nuda*.

Originalis (ἀρχαῖος) 21 (117) Iudaeis erat fides *originalium* auctorum (= patriarcharum) cf. App. Met. 11. p. 257: Ceres alma frugum parens *originalis*; Macrob. Somn. Scip. 1. 2; Cod. Theod. 11. 1. 14; Orelli inscr. 3766; Dig. L. 1. 22. 4; Hier. adv. Jovin. I. 27. ad *originale* exemplum redit; id. c. Joann. 25. in *originalibus* materiis; Goelzer. lat. de St. Jérome. pg. 145; Rönsch, I. u. V. pg. 118.

Otiosus = *inutilis* 10 (59) Otiosum est etiam titulos persequi. Cf. ad Natt. I. 8 (293) Sed unum hoc erit de vanitatibus vestrarum fabularum non *otiose* nobis retractandum, sqq.

Palabundus 21 (118) dispersi, *palabundi* vagantur per orbem. Cf. Auct. itin. Alex. 56: equites *palab.*; Cyprian. ep. 42. 4. oves *palab.* Rönsch, I. u. V. pg. 139.

Paralyticus (παραλυτικός) 21 (126) cum ille verbo *paralyticos* restringeret. Cf. Plin. 20. 9. (34); Claudian. epigr. 49; Petron. 131.

Palmatus = *palmis ornatus* 50 (262) Hic est habitus

victoriae nostrae, haec *palmata* vestis, tali curru triumphamus; cf. Kritz, ad Sal. hist. 2. 29. 4; Liv. X. 7; XXX. 15; Mart. 7. 1. 12 toga *palmata*; Val. Max. 9. 1. 5. vestis *palmata*; Suet. Claud. 17.

Pascua (νομή) proprie adiectivum, quod est factum substantivum, 22 (138) et quae illi accuratior *pascua* est. Rönsch, I. u. V. pg. 101.

Perpes = *perpetuus*, 18 (102) qui iudicaturus sit profanos in ignem aeque *perpetem* et iugem; cf. Pacuv. ap. Fest. p. 217; id. ap. Non. p. 88. 20; App. flor. 3. p. 357. 27; Prudent. cath. 10. 42 cruore *perpeti;* Marc. Cap. 3. 309: vinculum *perpes*; apud Plautum et sequioris aetatis scriptores adiectivum *perpes* nonnumquam idem valet quod: *totus.*

Plumatus 21 (120) deum patrem, squamatum aut cornutum aut *plumatum* amatorem. Cf. Poetam ap. Cic. n. d. 2. 44. *plumato* corpore corvus. Plin. 8. 32 (50) molli *plumata* lanugine; App. Met. 3. p. 138. 18.

Plumbatus 29 (172) qui eam (sc. maiestatem) non putamus in manibus esse *plumbatis;* cf. Plin. 10. 33 (50) sagittae *plumbatae;* Val. Max. 3. 7. 2. tabulae *plumb.;* Frontin. aquaed. 124 canales *plumb.;* Solin. 3. 3. iacula *plumbata.*

Poenalis 27 (168) hoc genus *poenalis* servitutis erumpunt adversus nos. Cf. Plin. 4. 8 (15); 18. 11 (29); Gai. 1. 128; Dig. 19. 2. 54; 22. 2. 5; 40. 12. 21; 46. 3. 7; Goelzer, latin. de St. Jér. pg. 148.

Praesentaneus 28 (170) Sed nec hos vos ratione facitis potius quam respectu *praesentaneae* potestatis. Cf. ad Natt. I. 7 (286) quanto magis talium quae prodita non vitarent interim humana animadversione *praesentaneum* supplicium? Vide porro Suet. Ner. 33; Plin. 21. 31 (105); 22. 25 (57); 24. 1 (1) venenum *praesentaneum* (Apul. Met. 10 p. 240. *ven. praesentarium*, ib. p. 243 ven.*peremptorium.*); 27. 9 (46); 28. 16 (65); Gell. 6. 4; Quinct. decl. 17. 11.

Primordialis 21 (126) ostendens se esse verbum dei, id est *ΛΟΓΟΝ*, illud *primordiale.* Ad Natt. I. 12 (312 et 313)

Si igitur in genere deorum crucem originem colitis, hic erit nucleus et granum *primordiale*, ex quibus apud vos simulacrorum silvae propaguntur. — Cf. Lucr. 4. 28; Amm. 30. 1. causa *primordialis*. Rönsch, I. u. V. pg. 120.

Primogenitus 21 (126) „illud primordiale, *primogenitum.*" Habet Tertullianus etiam formam: *primogenitalis*, adv. Valent. 20. — Cf. Plin. 11. 40 (95). *primogeniti* in quoque partu; Pallad. 1. 39. 2. vitulus *primogen.*; Lactant. 4. 11. 7 filius *primogenitus;* id. 1. 5. 7. deus *primogenitus;* id. 3. 6. 2; Hieronymus saepissime id adiectivum usurpavit; cf. adv. Helvid. 10. non omnis *primogenitus* est unigenitus.

Prolixus = *longus*, 30 (174) Precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis *prolixam;* cf. Dig. 50. 6. 4: aetas *prolixa;* Amm, 22. 8; App. Met. 3: *prolixo* itinere; Jul. Val. reb. Al. M. gest. 1. 57. labor *prolixissimus*.

Pronubus, 6 (36) *pronubus* anulus. Cf. ad Natt. I. 2 (275) Perducerentur infantariae et coci et ipsi canes *pronubi,* emendata res esset.

Prostitutissimus 25 (162) nec tantum tamen honoris fatis Romani dicaverunt dedentibus sibi Carthaginem adversus destinatum votumque Iunonis, quantum *prostitutissimae* lupae Larentinae. (Havercampius edidit *prostratissimae;* prosternere = „pudicitiam alicui eripere" utuntur Iust. 12. 7. 11; Suet. Caes. 2; id. Tib. 35; id. Cal. 24; Arnob. 2. p. 73.) Cf. Sidon. ep. 3. 13; Mart. 9. 6; Plin. 30. 2 (5).

Proximus = *promptus*, *manifestus*, *praesens*, *exertus*, *fidus* 23 (150) magis fides *proxima* est adversus semetipsos confitentes quam pro semetipsis negantes; ad Natt. II. 12 (384) Si qua ergo vel vestris scriptoribus litterisve vestris superioribus, sed idcirco magis *proximis* quoniam illius aetatis, fides adiacet, sqq. — Cf. de Idolol. c. 11, Ecce magis *proximum* praeiudicium. Quinct. decl. 23. 10; Minuc. Fel. Octav. cap. 19 „nonne apertius, *proximius*, verius?" Apul. De Magia c. 9 „tam *proximum* argumentum". Gell. 3. 15. cum obvium *proximumque* esset dicere sqq.; Prudent. περὶ στεφ. 10. 671.

consulamus *proxima;* Terent. Eun. 35. 64. eamus ad me; ibi *proximum* est, ubi mutes. — Cf. Gronov. Observv. I. 23. Barth. Advv. VIII, 9. p. 380.

Quaestuarius 13 (74) maiestas *quaestuaria* efficitur; Dig. III. 2. 4. 2; XXIII. 2. 43. 7 et 9; Senec. Benef. VI. 32. 1; Rönsch, I. u. V. pg. 136.

Religiosus = *cultor, venerator* 16 (89) sed et qui crucis nos *religiosos* putat.

Repentinus = *qui repente et exinopinato apparet;* 10 (61) Proinde Saturno *repentino* ubique caelitem contigit dici.

Reprobus 30 (175) nec sanguinem *reprobi* bovis mori optantis. Cf. Oehl. ed. maior. I. pg. 234, ann. m. „*Reprobum bovem* mori optantem appellat Tert. bovem nullius pretii, moribundum et paene confectum. Tangit enim gentilium in sacrificiis σμικρολογίαν, quam clarius exagitabat supra c. 13 „Non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis." Appellat autem *reprobum bovem*, qui reprobari atque ab altaribus arceri debuerat, cum hostiae probarentur." Ad Natt. II. 9 (363) Rigaltius edidit: „Si enim dei ut bulbi seliguntur, qui non seliguntur *reprobi* (pro: *improbi*) pronuntiantur." Cf. porro de Pudic. cap. 19 „*reproba* terra." Scorpiac. cap. 12 „Inter omnes enim *reprobos*" cett. Onomast. Graeco-Lat. ap. Vulcan. p. 130: „*Reprobus*, ἀδόκιμος." Ulpian. Dig. XIII. 7. 24. 1 „*reprobos* nummos"; Cypr. Unit. eccl. 14; Aug. Ep. 119. 16; Rönsch, I. u. V. pg. 140.

Retrosior de tempore adhibetur = *prior, antiquior,* uno tantum loco et quidem 19 (109) extremissimi tamen eorum non *retrosiores* reprehenduntur primoribus vestris sapientibus. Cf. retriores partes Schol. ad. Juv. 11. 138.

Rudis = *tener, immaturus, insons* 8 (43) excipe *rudem* sanguinem. Cf. ad Natt. I. 7 (291) certe excipe *rudem* sanguinem in quo panem tuum saties.

Rupex 21 (132) non qua *rupices* et adhuc feros homines multitudini tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret. Cf. Lucil. ap. Paul. Diac. p. 328,

256; Fest. p. 329. 31; Gell. 13. 9. 5; Rönsch, I. u. V. pg. 121,

Sagax (*alicuius rei*) 18 (102) Ptolemaeorum eruditissimus et omnis litteraturae *sagacissimus*. Cf. Sil. 3. 344 fibrarum *sagax*; Iust. 36. 2. 8: prodigiorum *sagacissimus*; Col. 1. praef. 22. *sagacissimus* rerum naturae.

Salvus insolita ratione de oculis usurpatur 46 (237) At Christianus *salvis* oculis feminas non videt.

Sarmenticius et **semaxius** uno tantum loco obviam habemus, 50 (262) Licet nunc *sarmenticios* et *semaxios* appelletis.

Scabiosus 14 (77) cum enecta et tabidosa et *scabiosa* quaeque mactatis; cf. Pers. 5. 74; Pers. 2. 13: homo *scabiosus*; Plin. 32. 2 (11); Plin. 29. 2 (10) anguli oculorum *scabiosi*; App. Met. 9. p. 223. 1. muli *scabiosa* macie exasperati.

Somniculosus = *tardus* (de re inanimi) 25 (160) o *somniculosa* diplomata; cf. Cic. sen. 11. 36. senectus *somniculosa*; Col. 1. 8. 2. genus mancipiorum *somnic.*; id. 11. 1. 13 vilicus *somnic.*; Sen. quaest. nat. 5. 11. 1; Mart. 3. 58. 37; Cinna ap. Gell. 9. 12. 12; Laber. ap. Non. p. 172. 30.

Specularis 35 (185) iam si pectoribus ad translucendum quandam *specularem* materiam natura obduxisset. Sen. Quaest. nat. 1. 5; Plin. 9. 35 (36); id. 36. 22 (45); Petron. 63; Lactant. op. d. 8.

Spiritalis (vel *spiritualis*) in Tert. scriptis saepe reperitur, ut apparet ex Oehl. indice; apol. 22 (136) sic malitia *spiritalis* a primordio auspicata est in hominis exitium; 46 (232) Ostendimus totum statum nostrum .... ex confessione *spiritualium* potestatum. — Cf. Prudent. περὶ στεφ. 10. 13. *spiritali* lacte pectus irriges; Vulgata ep. ad Rom. 1. 11 gratia *spirit.*; id. I. Corinth. 2. 13: *spiritualibus spiritualia* comparantes; Vulg. I Cor. 2. 14. homo *spirit.* Hier. Ep. 64. 19: *spiritualis* intelligentiae; id. Ep. 77. 11. *spirituales* nequitias subiugavit; id. ep. 100. 16: *spiritualibus* deliciis perfruuntur; id. c. Ioann. 3: *spirituali* mucrone perfossus; In Ezech. XIII. ad. 42. 13 sq. *spiritualis* intelligentiae sacramenta. Goelzer, latin. de St. Jér. pg. 145; Koffmane, Gesch. des Kirchenl. I. pg. 46.

Invenitur etiam hoc adiectivum apud Tert. pro substantivo in neutr. sing.: *spiritale* (πνευματικόν) Rönsch, I. u. V. pg. 104.

Squamatus uno tantum loco praesto est idque 21 (120) deum patrem passus est, *squamatum*, aut cornutum sqq.

Structorius ἅπ. εἰρ., 14 (78) ille Neptuni *structorias* operas Laomedonti locat.

Subnubilus 47 (244) ut adhuc tunc *subnubila*, etiam ipsis Iudaeis obumbrata, quorum propria videbantur. Cf. Caesaris bell. civ. 3. 54. 2. nox *subnubila*. Ov. r. am. 599 limes *subn.*

Supputarius solum obviam est 19 (110) multis instrumentis cum digitorum *supputariis* gesticulis adsidendum est.

Supremus 42 (222) *supremam* coenantibus, h. e. *supremam coenam.*

Suspectus = *suspicax* 21 (129) ne discipuli furto amoliti cadaver fallerent *suspectos*. Apul. Met. 204. 205; Amm. 16. 10; 29. 4; Rönsch, I. u. V. p. 339.

Tabidosus (alii: *tabiosus*) 14 (77) cum *tabidosa* quaeque mactatis; apud Tertullianum solum id adiectivum exstat. Cf. ad Natt. I. 10 (304) quod enecta et *tabida* quaeque mactatis, cett. Rönsch, I. u. V. pg. 128.

Tabularius 39 (206) Herculanarum decimarum et polluctorum sumptus *tabularii* supputabunt, sqq. Cf. Sen. ep. 88; Dig. 11. 6. 7; 43. 5. 3; 50. 4. 18; 50. 13. 1; Amm. 18. 1; Orelli inscr. 2348; 2962; 3246.

Temerarius inusitate de altaribus usurpatur = *quod temere et sine are fit.* 25 (163) et nulla capitolia certantia ad caelum, sed *temeraria* de cespite altaria; cf. ad Natt. II. 17 (403) Frugi religio et paupertina superstitio, altaria *temeraria* et vasa sordida sqq. — Cf. Hor. Carm. II. 15. 17: nec *fortuitum* spernere *cespitem* leges sinebant.

Temporalis 48 (256) ut prima haec pars ab exordio rerum quam incolimus *temporali* aetate ad finem defluat; Quinct. 6. 2. 10; Tac. Agr. 46; Sen. quaest. nat. 7. 23; Dig. 47. 10. 95; 29. 1. 1; Inscr. ap. Marin. att. fratr. Arv. n. 43. 16.

Transfretanus 25 (159) Peregrinos enim deos non putem

patrium solum *transfretanis* dedisse. Rönsch, I. u. V. pg. 229.

Venenarius 43 (225) Primi erunt lenones, sicarii, *venenarii*. Cf. Suet. Ner. 33; Petron. 39; App. mag, p. 291. 8; Hier. in Jerem. IV, ad 22. 1 sq.

Zelotypus (ζηλότυπος). 3 (20) uxorem iam pudicam maritus iam non *zelotypus* abdicavit, sqq. cf. Juven. 5. 45. Jarba *zelot.*; id. 6. 278 moechae *zelot.*; pro substantivo *zelotypus* adhibetur Petron. 45; Quinct. 4. 2. 30; Mart. 1. 93. 13; Arnob. 7. pg. 227; Auson. epigr. 10. 1.

THESES.

I.

Iniuria dicendi genus Tertullianum philologorum quorundam movit indignationem.

II.

Tert. Apol. 11 (68) Quanto dignius istos deos ille adsumendos expectasset, praescius utique *potiorum?*

Potiorum mutetur in *posteriorum.*

III.

Id. ibid. 21 (212) Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma, *coenantur oculis tenus.*

Pro *coenantur oculis tenus* scribendum proponimus *nascuntur oculis solis.*

IV.

Numquam provocatio fuit a dictatore, quam ob rem reicienda est sententia Mommseni (Röm. Staatsr. II. pg. 157).

V.

Liv. 123 pro: „lectis *ex Epiro* proscriptis et fugitivis totam provinciam occupant," legendum censeo: „ex continenti."

VI.

Verg. A. IV 25 sq.

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine *ad umbras*,
Pallentes umbras Erebi noctemque profundam.

Magis Maronis genio et usui respondere videtur si legamus:

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine *ad umbras*,
Umbras pallentes Erebi noctemque profundam.

VII.

Hor. Carm. II. 8. 23:

Te suis matres metuunt iuvencis
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

Recipienda est coniectura Bentlei: *cura* maritos.

—

VIII.

Auson. Parent. III:

> Hinc *tenus* Europam fama crescente *petito*
> Constantinopolis rhetore te viguit.

Legas:

> Hinc, *trans* Europam fama crescente, *perita*
> Constantinopolis rhetore te viguit.

IX.

Hesiod. Ἔργ. καὶ Ἡμ. 714: σὲ δὲ μή τι νόον **κατελεγχέτω** εἶδος. Assentior Schoemannio ita scriptum fuisse putanti: σὲ δὲ μή τι νόον **κατεθελγέτω** εἶδος.

X.

Herod. I. 18: τὰ μέν νυν ἓξ ἔτεα τῶν ἕνδεκα Σαδυάττης ὁ Ἄρδυος ἔτι Λυδῶν ἦρχε, ὁ καὶ ἐσβαλὼν τηνικαῦτα ἐς τὴν Μιλησίην τὴν στρατιήν. οὗτος γὰρ καὶ ὁ τὸν πόλεμον ἦν συνάψας. τὰ δὲ πέντε τῶν ἐτέων τὰ ἑπόμενα τοῖσι ἓξ Ἀλυάττης ὁ Σαδυάττεω **ἐπολέμεε,** ὃς παραδεξάμενος, ὡς καὶ πρότερόν μοι δεδήλωται, παρὰ τοῦ πατρὸς τὸν πόλεμον προσεῖχε ἐντεταμένως. Delendum ἐπολέμεε; supplendum est ἦρχε.

XI.

Theognis V. 1015: *πρίν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκῃ.*

Pro *ὑπερβῆναι* substituendum: *ὑποστῆναι.*

XII.

Soph. Ai. 3 sqq: *καὶ νῦν ἐπὶ σκηναῖς σε ναυτικαῖς ὁρῶ Αἴαντος, ἔνθα τάξιν ἐσχάτην ἔχει, πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ* **μετρούμενον** *ἴχνη τά κείνου νεοχάραχθ'*, sqq.

Pro *μετρούμενον* scribendum propono: *σκοπούμενον.*

XIII.

Aristoph. Vesp. 36 pro: *ἔχουσα φωνὴν ἐμπεπρημένης* **ὑὸς** scripsit: *ἐμπεπρημένης* **δρυός.**

XIV.

Plut. Mor. 287 *A. διὰ τί ταῖς Δεκεμβρίαις εἴδοις ἱπποδρομίας γενομένης ὁ νικήσας δεξιὸς ἱερὸς Ἄρει θύεται;* Pro *δεξιὸς ἱερός* legas: *δεξιόσειρος.*

XV.

Clem. Alexandr. *στρώματα* I. c. 17: *καὶ τῷ Σωκράτει τὸ δαιμόνιον αἴτιον ἦν οὐχὶ μὴ κωλῦον,* **ἀλλὰ προτρέπον,** *εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν.* Legendum puto: *ἀλλ' ἀποτρέπον.*

XVI.

Bonus criticus bonus sit interpres necesse est.

XVII.

Herodoto putanti post proelium demum apud Plataeas factum Corinthios ceteris Graecis auxilio venisse fides non est tribuenda.

XVIII.

Ab historiarum libris separatos Ἀσσυρίους λόγους scribere Herodotum in animo habuisse extra omne dubium est positum.

XIX.

Non recte Mommsenus R. G. II. pg. 104 de C. Graccho dicit: „Rache wollte er nehmen an der elenden Regierung, Rache um jeden Preis, mochte auch er selbst, ja das Gemeinwesen darüber zu Grunde gehen.

XX.

Sextum Pompeium, filium Cnaei Pompei Magni, iussu Antonii a Titio esse occisum verisimile puto.

XXI.

Optimo iure contendit Schellingius (Methodologie des akademischen Studiums): „das Ausgehen von einem universalhis-



